Quid si crimina, non inducerent publicationem ipso jure? n. 61.
Quid si lata est sententia, & ab ea appellatum? num. 62.
An institutus in ultima voluntate, ut testamento, codicillo, aut donatione causa mortis, publicetur ob superveniens possessoris delictum? num. 63.
Quid si ante crimen institutus sit contractu irrevocabili inter vivos? num. 64.
Quid si erat institutus ex regio privilegio continente, ut ob sodomiam, crimen læsæ majestatis, divina, aut humana publicetur? num. 65.
Quid si ante crimen institutus erat contractu revocabili inter vivos? num. 66.
An si delinquens revocet illum ante mortem, pertineant ea bona ad fiscum? num. 67.
An confiscetur tunc quo ad fructus durante vita institutoris, etiamsi adsit clausula transferens ad sequentem vocatum statim ac possessor tentarit delinquere, aut si interdicta alienatio? num. 68.

59 HActenus egimus qualiter publicentur bona ob crimina possessoris majoratus, qui ejus institutor non fuit: jam disputandum est, quando crimen est ipsius institutoris. *Simancas de cathol. instit. tit. 9. num.* 256. ait majoratum confiscari in perpetuum ob institutoris hæresim, nisi fortè tradiderit filio possessionem bonorum vel scripturam primogenii, vel sit contractu oneroso institutus ante institutoris hæresim, tunc enim jus alteri acquisitum ante delictum, nequit per fiscum auferri. Quare apertè sentit semper confiscari majoratum, nisi contractu irrevocabili sit institutus. Quippe in casibus solis, quos excipit, redditur majoratus irrevocabilis: juxta *l. regium* 44. *Tauri*.

60 At sic distinguendum est. Si majoratus post delictum admissum sit institutus, publicatur in perpetuum facta delicti declaratione. Ratio est manifesta, quia à die delicti erant bona fisco obligata, cui jure acquisito nequit institutor præjudicare. Et ita docet dicens esse certum *Vasq. 1. 2. quæst.* 96. *ar.* 5. *disp.* 169. *num.* 39.

61 Quod tamen intellige in solis illis criminibus, ob quæ publicantur ipso jure bona; nam quando non ipso jure, solùm data confiscationis sententia majoratus institutus irrevocabiliter admisso crimine, ante confiscationis sententiam, non confiscabitur in perpetuum subsecuta postea confiscationis sententia. Sicut nec donatio medio illo tempore facta. Juxta *l. Post contractum* 15. *ff. de donat.* Ratio est, quia bona ejus delinquentis non sunt fisco obligata à die commissi criminis, nec confiscatio illa retrotrahitur ad eam diem. Ut dicemus *hoc 2. l. cap.* 21. *n.* 33. ac proinde quidquid medio illo tempore gestum est, non cedit in fisci præjudicium, cui nullum jus erat acquisitum. Sic docet *Molina Societatis Jesu tomo* 3. *de just. disput.* 659. *num.* 1. At hoc debet intelligi, nisi ea institutio sit in fisci fraudem facta: sicut de aliis donationibus tunc factis dicemus *eodem c.* 21. *num.* 25. eas posse à fisco revocari secuta postea sententia.

62 Quid autem si lata sententia, suspensaque per appellationem, is majoratus institutur? Dicendum est, sicut dicemus *eodem c.* 21. *n.* 36. & 37. de aliis donationibus tunc factis. Cum eadem prorsus ratio sit.

63 Secundo, si majoratus sit in aliqua ultima voluntate, ut testamento, codicillo, donatione causa mortis, confiscatur in perpetuum ob subsequens institutoris crimen, ob quod bona ipso jure publicantur. Quia cum ea bona nondum sint alicui obligata, fiscus ea auferens nulli præjudicat. Sic loquens de majoratu instituto in testamento, vel codicillo docet *Molina lib.* 4. *de primog. cap. ultimo, num.* 20. & 21. loquens in omnibus his tribus eventibus docet *Molina Societatis Jesu tomo* 3. *de just. disput.* 659. *num.* 2. Nam donatio causa mortis est similis testamento, & codicillis, & connumeratur inter ultimas voluntates. Ut docet *Molina cum aliis lib.* 1. *de primog. c.* 12. *num.* 10. & in hoc casu consentit nobiscum *Simancas* relatus *n.* 59. Et ob eamdem rationem si bona non publicentur ipso jure, sed per sententia, secuta sententia revocabit hunc majoratum fiscus. Quia ea bona sunt adhuc delinquentis, ac nulli obligata.

64 Tertiò, si majoratus sit institutus contractu irrevocabili inter vivos, ante institutoris delictum, non confiscatur in perpetuum. Quippe sicut institutor nequit contractu aliquo, aut alia ratione alienare ea bona, ita neque delicto. Præterea, quia donationes aliæ ante delictum factæ nequeunt à fisco revocari, nisi in ejus fraudem factæ sint *l. Post contractum* 15. *ff. de donat.* Sic tenent dicentes esse certissimum, *Molina lib.* 4. *de primogen. cap. ultimo, num.* 18. *Sarmiento lib.* 3. *selectarum, cap.* 4. *num.* 5. *Antonius Gomez lib.* 40. *Tauri, num.* 91. *colum.* 3. *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disputat.* 169. *num.* 39. & *disputat.* 171. *num.* 17. *Molina Societatis Jesu tomo* 3. *de justit. disput.* 659. *num.* 1. Et in hoc etiam casu consentit nobiscum *Simancas, num.* 59. relatus. Est tamen hoc intelligendum, si donatio illa fuit acceptata. Ut benè tradit *Vasquez eo n.* 17. Quia ante acceptationem non est perfecta, nec irrevocabilis, nec rationem contractus habet.

65 Hoc autem tertium delictum est intelligendum, nisi majoratus ille institutus sit ex regio privilegio continente clausulam, ut confiscetur ob crimen læsæ majestatis divinæ, vel humanæ, vel sodomiæ: tunc enim confiscabitur in perpetuum ob hæc delicta institutoris subsequentia; eodem prorsus modo, quo hucusque dicimus confiscari ob quodvis delictum ex his comissum à quocumque possessore. Quippe eadem lege adstrictus est ipse institutor majoratum cum possidens. Secùs autem dicendum est, si tempore, quo in hæc delicta incidit, non possideret majoratum, sed successori tradidisset. Quia ejus delictum nequit præjudicare successori, qui jam verus dominus ejus majoratus erat. Præterea, quia jam ille majoratus non erat inter delinquentis bona.

66 Ultimò si majoratus institutus sit contractu revocabili inter vivos, non modica est difficultas, an confiscetur in perpetuum ob subsequens institutoris delictum. *Simancas n.* 59. relatus censet sic confiscari. Quod hujusmodi contractus sit initar ultimæ voluntatis, utpote qui potest ad libitum revocari. At verius est non confiscari in perpetuum. Quia cum is contractus fuerit perfectus, ac validus, quamvis revocabilis per institutorem tempore vitæ suæ, jus est successoribus, quamvis ab ipso institutore revocabile comparatum. Hoc autem revocandi jus est personale, ac proinde non transit in fiscum. Præterea, quia contractus hic non est verè ultima voluntas, sed tertiam quamdam speciem constituit. (Ut latè probat *Molina lib.* 1. *de primogen. c.* 12. *à n.* 9. *usque ad* 17.) Quare non ultimis voluntatibus, sed donationibus revocabilibus inter vivos, quæ morte confirmantur, est assimilandus: quales sunt donatio inter patrem, & filiumfamilias, & virum, & uxorem. At donatio facta per virum uxori, quamvis à viro sit revocabilis, non pertinet ad fiscum, publicatis viri bonis ob subsequens viri delictum. (Ut probavi *lib.* 6. *de matrimon. disputat.* 17. *n.* 5.) Ergo similiter majoratus hic non publicabitur ob subsequens institutoris delictum. Et ita docent *Molina de primogen. lib.* 4. *cap. ultimo, num.* 23. *Antonius Gomez lib.* 40. *Tauri, num.* 91, *columna* 3. *Molina Societatis Jesu dicta disput.* 659. *num. ultimo*. Quod tamen intelligendum est cum, limitatione dicta *numero præcedenti* ob eadem rationem.

67 Subdit tamen *Molina Societatis Jesu eodem num. ultimo*, si delinquens revocet eum majoratum ante suam mortem, eo ipso ea bona ad fiscum pertinere. Idque nulla ratione probat, sed allegat pro se *alterum Molinam*, & *Antonium Gomez n. præcedenti* relatos. At neuter id dicit, nec ita universaliter dictum approbo: sed sic distinguendum est. Si institutor revocet majoratum ante sui criminis sententiam declaratoriam, ea bona ad fiscum pertinebunt, tamquam facta jam ipsius delinquentis, & nulli obligata. Secùs autem si post sententiam revocet. Quia in ea publicatione sola bona clauduntur, quæ tunc erant delinquentis, nulli alii obligata: juxta dicta *n. præcedenti*. Quod etiam constat, quia donatio facta inter virum, & uxorem, cui hanc contractum assimilari diximus *n. præcedenti*, si publicatione bonorum viri facta revocetur ab ipso viro, non pertinet ad fiscum. Ut probavi *libro sexto, de matrimon. disputat.* 17. *n.* 5.

68 Demùm id monuerim casu, quo non publicatur majoratus in perpetuum ob institutoris delictum, confiscabuntur fructus durante vita ipsius, nisi apposita sit clausula interdicens expresè alienationem, aut applicans bona sequenti vocato, statim ac possessor attentaverit delinquere. Quippe in hoc duplici casu transit majoratus dominium ad sequentem vocatum, ac dominium fructus sequentes erunt illius. Ut de reliquis possessoribus probavi à *n.* 15. *usque ad trigesimum*. Quia eadem est ratio, cum non in favorem delinquentis, sed totius familiæ ea clausula adjecta sit, & toti familiæ sit ab institutionis puncto jus acquisitum.

CAPUT XIX.

De confiscatione jurispatronatus, emphyteosis, ac feudi.

SUMMARIUM.

Quot quæstiones sint disputandæ? num. 1.
Juspatronatus nequiens ad hæredes extraneos transire non publicatur, num. 2.
An publicetur damnante judice Ecclesiastico delinquentem? numer. 3.
An publicetur directè, & per se, ob judicis laici sententiam? num. 4.
An hoc publicante omnia bona, publicetur indirectè juspatronatus? Refertur quædam sententia, num. 5. & 6.
Explicatur an juxta hanc sententiam possit judex Ecclesiasticus post sententiam publicationis latam à judice sæculari, publicare juspatronatus, num. 7.
An juxta eamdem sententiam publicetur per sententiam judicis sæcularis, quando publicantur castrum, & villa, cui est adnexum? num. 8.
An retenta eadem sententia venditis omnibus bonis publicatis à judice sæculari, transeat in emptorem juspatronatus? numero 9.
Explicatur sententia Auctoris? num. 10.
An valeat, quando in sententia judicis sæcularis fit mentio juris patronatus? num. 11.
An sit discrimen, tam in confiscatione, quam in venditione hæreditatis, si fiat mentio juris patronatus, cum dictione, & aut cum dictione, cum? Refertur quædam sententia, num. 12.
Explicatur sententia Auctoris, num. 13.

Quid quando confiscatio non est generalis, sed bonorum mobilium, & immobilium? num. 14.
Quid si in fraudem expressum esset, ut id juspatronatus ad certum personarum genus deveniret? num. 15.
An quoties juspatronatus publicatur, maneat Ecclesia libera, an potius jus præsentandi transeat in fiscum? num. 16.
Quid si sint alii patroni, aut alii ad id vocati? num. 17.
Est num. 17. *invenies summaria, quæ desiderantur.*

1 DUPLEX est tractanda quæstio. Prior de confiscatione jurispatronatus. Posterior de emphyteosis, & feudi confiscatione.

2 Quæstio prior, An ob patroni delictum publicetur juspatronatus Ecclesiasticum. Quia in re in tribus conveniunt Doctores. Primum est. Non subjacet confiscationi, quando ex sua institutione nequit ad hæredes extraneos transire. Quod probat regula ab omnibus admissa, quam tradidimus *hoc. lib. c.* 14. *num.* 5. quæ est *Non transeuntia ad hæredes extraneos, non transeunt in fiscum*. Et in propriis terminis docent *Jul. Clar. in sua pract. lib.* 5. *qu.* 78. *num.* 8. *Peregrinus de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 72. & 121.

3 Secundum est. Quando judex Ecclesiasticus bona patroni confiscat, publicatur cum illis juspatronatus, quod ad hæredes extraneos transire potest. Quod à contrario sensu colligitur ex *Clem. Pastoralis*, §. *Rursus, de sentent. & re judic.* Et id dicunt esse absque controversia *Lambertinus de jurepatronatus, lib.* 3. *quæst.* 8. *artic.* 8. *num.* 10. *casu* 1. *Bernardus Diaz in sua practica, in nova editione, capit.* 132. *num. quinto, Molina lib.* 1. *de primogen. capit.* 24. *num.* 26. *Cantera in suis quæst. criminalibus, titulo de quæstionibus tangentibus punitionem delictorum, capitulo* 1. *num.* 50. Nec tunc spectatur, an veniat principaliter juspatronatus in publicatione, an tantùm accessoriè, nec an exprimatur, nec ne, nec an sit generalis omnium bonorum publicatio, an particularis. Quia judex Ecclesiasticus potest illud directè publicare, cum ejus sit circa res spirituales judicium. Atque ita advertunt *Lambertinus*, & *Bernardus Diaz ibidem*.

4 Ultimum est. Si sententia sit judicis laici, nequit per se, & directè publicare juspatronatus, nec ejus confiscatio valeret. Quia cum sit quid spirituale, est extra judicis laici jurisdictionem. Atque ita dicens esse omnium tradit *Lambertinus eodem art.* 8. *num.* 11.

5 Difficultas autem eò pertinet, an quando juspatronatus ejus est naturæ, ut ad hæredes extraneos transire valeat, & sententia est judicis laici omnia patroni bona publicans, censeatur juspatronatus in eis existens publicari accessoriè. Duplex est sententia. Prior negat; eò quòd judicis laici potestatem excedat disponere de re spirituali. Sic tradunt *glossa Clem. Pastoralis, verbo Subjecta, de sentent. & re judic.* & *ibi Imola num.* 72. & *l. In insulam, in principio, num.* 1. *notabili* 2. *ff. soluto matrimon. Archid. c. Filii* 16. *qu.* 7. *n.* 2. & *ibi Bellamera n.* 6. *in fine, Cardinalis Clem.* 2. *qu.* 8. *num.* 8. *de jurepatron. Angelus de maleficiis, verb. Et ejus bona publicamus, num.* 15. *Lambertinus eo art.* 8. *num.* 13. & 14. *casu* 4. & *num.* 21. *casu* 9. *Felinus c. Quanto, num.* 3. *de judiciis*, & *ibi Barbat. num.* 17. *Marianus Socin. Junior consilio* 51. *in fine, volum.* 2. *Francus c. Felicis* §. *Nullus, num.* 2. *notabili* 2. *de pœnis, in* 6. *Anchar. eodem c. Felicis, num.* 4. *notab.* 10. *Nullus de bannitis* 1. *par. secundi temporis, num.* 32. *Gygas tractat. de crimine læsæ majestatis, liber.* 2. *tit. de pœnis committentium id crimen, qu.* 4. *num.* 4. *Costa c. Si pater, par.* 2. *verbo, Trebellianica, num.* 7. *de testament. in* 6. *Franc. Lucanus de privilegio fisci, part.* 2. *principali, titul. de publicatione bonorum, num.* 8. *Matt. de Afflict. Præpositus, Albericus, Bertachinus, Socinus Junior, Cœpola, Conradus, Ferretus, Mantua*, quos refert, & sequitur *Farinac. in sua practic. in nova editione, tomo* 1. *par.* 1. *tit. de delictis*, & *pœnis, quæst.* 25. *num.* 151. *Plot. inter consilia criminalia Zileti, tomo* 1. *consil.* 130. *num.* 18. *Cantera in suis quæst. criminal. titul. de quæst. tangentibus punitionem delictorum, c.* 1. *num.* 59. Atque videntur hanc sententiam amplecti *Chassaneus in consuet. Burgundiæ, rubr.* 2. §. 2. *in principio, nu.* 9. & *Peregrin. de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *nu.* 72. Cum hanc referant in ultimo loco, etsi non decidant, cui adhæreant.

6 Quidam autem ex his Doctoribus limitant, ut non publicetur in perpetuum, sed solo tempore, quo condemnatus illud habiturus erat. Sic dicens forsan ita esse, & alios allegans, tenet *Gygas ea quæst.* 4. *numer.* 4. Sed id reprobat *Farinacius ea quæst.* 25. *numer.* 154. quia ratio ob quam non publicatur, est defectus jurisdictionis judicis laici, quæ ratio æquè in confiscatione perpetua, ac temporali militat.

7 Rursus alii ex his Doctoribus asserunt, quamvis per judicis sæcularis confiscationem nequeat juspatronatus deperdi; at judici Ecclesiastico integrum esse post judicis laici sententiam de eo delicto, confiscari id juspatronatus, quando delicto est adnexa publicatio omnium bonorum cum infamia, indeque efficiendum, ut illo jure extincto maneat Ecclesia libera. Sic allegato *Antonio* tradunt *Imola ea Clem. Pastoralis, nu.* 72. *Lambertin. ea quæst.* 8. *ar.* 8. *nu.* 15. *casu* 5. At hoc dicunt intolerabile *Nullus* allegat. *num.* 5. *Farin. eadem quæst.* 25. *numer.* 153. Tum quia Episcopus nullam criminis laicorum cognitionem habet. Tum etiam, quia cum semel de delicto unus judex cognoverit, nequit amplius alius de eo cognoscere *l. Licet* §. *penultimo ff. nautæ, caup. stabular.* Verùm utrique objectionis satisfacit *Lambertinus ibi*, dicens judicem Ecclesiasticum benè habere cognitionem criminis in laicum, cum ejus naturæ est crimen, ut laicus retinere juspatronatus nequeat, quale est hoc ratione infamiæ adnexæ; eò vel maximè, quòd hæc cognitio judicis Ecclesiastici fit ad complendam publicationis pœnam à judice laico inflictam, eò quòd illa ad juspatronatus extendi nequibat, ratione defectus jurisdictionis in statuente. Atque in hoc casu potest judex Ecclesiasticus cognoscere, non obstante prævia judicis laici cognitione.

8 Tandem limitant hi Doctores, ut intelligatur hæc sententia, nisi juspatronatus sit adnexum villæ aut castro illius delinquentis, cujus bona publicantur: tunc enim censebitur juspatronatus publicatum. Sic *Gygas ea quæst.* 4. *in fine, Lambertinus ea qu.* 8. *art.* 8. *num.* 20. *casu* 8. *Costa eo* §. *Trebellianica, num.* 8. *Farinacius ea qu.* 25. *num.* 156. & 157. ubi eos retuli *n.* 5.

9 Hinc infert hæc sententia, sicut in confiscatione omnium bonorum facta per judicem laicum non comprehenditur juspatronatus, juxta dicta *numero quinto*, à fortiori illud non transire in emptorem, venditis à fisco iis bonis. Quia nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habeat. *Regula Nemo potest* 79. *de regulis juris, in* 6. Sic *Gygas ea quæst.* 4. *numer.* 5. *Farinacius ea quæst.* 25. *num.* 155.

10 Posterior sententia (cui tamquam probabiliori adhæreo) ait publicatis omnibus bonis, seu universa delinquentis hæreditate per judicem sæcularem, publicari quoque indirectè, & accessoriè juspatronatus. Quia etsi judex laicus nequeat per se, & directè privare jurepatronatus, potest tamen indirectè, & accessoriè, publicando bona, quibus est adnexum. Ita sustinent *glossæ cap. Filiis, verbo Propinquis* 16. *quæst.* 7. *Abbas cap. Cum laici numer.* 3. & *cap. Nobis, numer.* 3. *de jurepatron.* & *cap. Quanto, numer.* 9. *de judiciis, ubi Decius in nova editione, à numer.* 35. *versic. Sed prima opinio, Albericus l. Si postulaverit.* §. *Jubet numer.* 6. *ff. ad leg. Juliam, de adult. Rocchus de Curte de jurepatron. verb. Ipse velis, quæst.* 29. *numer.* 69. *Paulus de Citadinis in eodem tract. part.* 9. *quæst.* 20. *numer.* 28. *Guillelmus Benedictus cap. Raynutius, verb. Et uxorem, decis.* 5. *numer.* 280. *de testam. Joannes Lupus rubrica de donat. inter vir.* & *uxor.* §. 39. *numer.* 7. *versic. Ad cujus confirmationem, Auferius de potestate sæculari, in regula à fallentia* 21. *Julius Clarus in practica criminali, lib.* 5. *quæst.* 78. *num.* 8. *Molina lib.* 1. *de primogen. cap.* 24. *num.* 26. *Ferez libro* 1. *ordinam. tit.* 6. *liber.* 1. *super verb. Si el que fuere quæst.* 8. *Surdus de alimentis, titul.* 9. *quæst.* 22. *num.* 28. Subditque optimè *Molina eo numer.* 26. absque fundamento ullo Doctores allegatos *num.* 8. dixisse confiscatis villa, aut castro per judicem sæcularem confiscari quoque juspatronatus non autem publicatis omnibus bonis, aut universitate hæreditatis.

11 Hæc autem sententia est intelligenda, dummodo judex laicus in confiscationis sententia non faciat jurispatronatus mentionem, sed in genere declaret omnia illius delinquentis bona ad fiscum pertinere; & tunc cum illis transibit accessoriè juspatronatus. Neque enim valeret sententia, quo ad juspatronatus, si illius mentio fieret; eò quòd judex laicus jurisdictione careat. Sicut vendita bonorum universitate transit accessoriè cum illa juspatronatus, non autem transiret facta illius mentione in venditione. Sic tradunt *Abbas cap. Quanto, num.* 9. *de judiciis*, & *ibi Decius in nova editione, num.* 38. *versic. Prædicta concluso, Molina liber.* 1. *de primogen. cap.* 24. *num.* 26. *Peregrinus de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1, *nu.* 72. *in fine*.

12 Sed difficultas est circa hanc limitationem, an valeat confiscatio jurispatronatus, facta illius mentione cum hac præpositione, *cum*, ut si dicat sententia judicis laici sic: *publico universa bona cum jurepatronatus*: Quidam in casu simili, nempe venditionis hæreditatis, cui est adnexum jus patronatus, ajunt non transire illud in venditorem, sive ejus mentio fiat cum dictione, *Cum, vendo bona cum jurepatronatus*, sive cum dictione, *Et*, ut *vendo bona*, & *juspatronatus*. Ducuntur, quòd interdicta sit jurispatronatus venditio, *cap. De jure* 16. *de jurepatronatus*: atque adeò transeat vendita bonorum universitate, quia tunc non venditur, sed transit in consequentiam, & accessoriè. At cum in venditione exprimitur juspatronatus, iam non venit accessoriè, sed perinde est, ac si hæreditas illa, & juspatronatus vendantur. Sic *Abbas c. Illud, n.* 4. *de jurepatron. Felin. c. Querelam, n.* 3. *de simonia. Lambertinus de jurepatron. lib.* 1. *part.* 2. *q.* 5. *art.* 20. *à num.* 19. *Spino Speculo testam. gloss.* 4. *principali n.* 116. Et videtur tenere *Gutierrez de juramento* 1. *part. c.* 42. *n.* 4. Atque ideò juxta hanc sententiam dicendum est non valere confiscationem jurispatronatus utrovis modo fiat.

13 At probabilius est valere, quando cum dictione, *Cum*, exprimitur, ut *publico omnia cum jurepatronatus*: secùs quando cum dictione, *Et* ut *publico omnia bona*, & *juspatronatus*. Ratio discriminis desumitur ex doctrina *Bartoli* communiter recepta, *authent. Ingressi in nova editione, numero trigesimoprimo C. de sacrosanct. Eccles.* dicentis dictionem, *Et*, denotare utrumque principaliter venire; at dictionem, *Cum*, venire accessoriè. Cum ergo veniat juspatronatus accessoriè, est sola expressio ejus, quod tacitè inest, & eo modo, quo inest, ac proinde nullum est vitium. Atque ideò tractantes de venditione hæreditatis, cui juspatronatus adnectitur, tradunt hanc distinctionem,

Abbas c. Querelam, num. 6. de simon. & ibi Marianus Socinus Junior, num. 12. Decius c. Quanto, in nova editione, numer. 40. de judic. Rocchus de jurepatron. verb. Ipse velis, quæst. 25. numer. 49. & 50. Gregor. Lopez lib. 8. verb. De bueltas, titul. 15. part. 1. Manuel 2. tomo summa cap. 63. in fine. Atque *Navarr. libro 3. consil. in priori editione, tit. de rerum permutatione, consilio unico, numero unico; in posteriori autem tit. de jurepatronatus, consil. 3. numero unico*, dicit valere, quando exprimitur, cum dictione, *Cum*, ait dubium esse, quando exprimitur cum dictione, *Et*. Tradunt etiam *Angelus in summa, verbo Jusipatronatus, num. 12. & ibi Sylvest. quæst. 5. d. 4. Armilla num. 6. Tabiena quæst. 10. num. 11. Aragon. secunda secunda, quæst. 100. articul. 4. in fine*. Quamvis non desint dicentes utrovis modo valere, inter quos est *Ananias eodem c. Querelam, num. 9.* dicens explicari tunc dictionem, *Et*, ut sumatur pro *Cum*. Sic ergo in præsenti dicendum est de confiscatione. Ut in propriis terminis docet *Decius eo num. 40.* Id tamen monuerim hanc distinctionem deservire pro foro externo, in quo ex verbis præsumitur intentio. Quare si de intentione constaret, utrovis modo se habeant verba, est standum illi in foro conscientiæ; atque adeò si animus esset vendendi jurispatronatus, non valeret, utrovis modo se habeant verba: quòd si non esset animus transferendi principaliter, sed accessoriè, valeret. Quod optimè docet *Sylv. verbo, Simonia, quæst. 12. d. 5.* Atque idem est de confiscatione dicendum. Sed ubi dubium est de intentione, standum est, quoque in foro conscientiæ ea fori externi præsumptione deducta ex verbis: juxta ea, quæ dixi *lib. præcedenti, capitul. 10. numer. 13.*

14 Secundò intelligenda est nostra sententia principalis, quando confiscatio esset universalis, nam si solùm esset bonorum mobilium, & immobilium, non clauderetur juspatronatus. Quod in tali publicatione non includantur jura, & actiones. (Ut probavi *c. 14. num. 2.*) Atque ita tradunt *Marianus Socinus Junior consil. 51. num. 4. volum. 2. Peregrinus de jure fisci, lib. 5. tit. 1. num. 72. in fine, Bajardus addit. ad Julium Clarum, lib. 5. q. 78. num. 26.*

15 Tertiò intelligi debet, nisi in fundatione jurispatronatus expressum esset, ut id agnati succedere debeant, aut personæ conditionis certæ: cum enim tunc ad extraneos hæredes pervenire nequeat, nec ad fiscum perveniet: juxta ea, quæ *numero 2.* diximus. Et ita docent *Marianus Socinus Junior eo consil. 51. numero 3. Bernardus Diaz in sua practica, in nova editione, capit. 132. numer. 5. Cantera in suis quæst. criminalibus, tit. de quæst. tangentibus punitionem delictorum, capitul. 1. numer. 50.* Qui hoc intelligere videtur de confiscatione perpetua, secus de temporali, pro delinquentis vita: dicit enim idem judicandum, ac de bonis onere restitutionis gravatis, & rectè quidem dicit, nisi esset expressa alienationis prohibitio: hac autem existente excluderetur quoque ea temporalis confiscatio. Ut latè probavi *cap. præced. num. 15.*

16 Id demum est observandum, quoties juspatronatus publicatur, exercitium illius non transit in fiscum, nec indelinquentis hæredes, sed Ecclesia manet libera sub Episcopi potestate, ac jus illud extinguitur. Ita tradunt *Joannes Lupus rubrica de donation. inter vir & uxor. §. 37. numer. 7. versic. Ad hoc quod notanter, Rocchus*, quem refert, ac sequitur *Molina lib. 1. de primog. cap. 24. num. 27. Bernard. Diaz, & Cantera* relati *num. praceden. Simancas de cathol. inst. tit. 9. num. 95. & 96. Vasquez 1. 2. q. 96. art. 5. disp. 169. cap. 2. num. 19. versic. 11. Azor. tomo 1. inst. moral. l. 8. c. 12. q. 9.*

17 Hoc tamen dupliciter intelligerem. Priùs, nisi essent alii compatroni: tunc enim non maneret Ecclesia libera, sed jus præsentandi in illis maneret. Quia delictum unius non debet aliis nocere. Sic *Cantera ibidem*. Posteriùs, quando nullus ad id juspatronatus esset ab institutore vocatus, sed solo hæreditario jure esset ad patroni hæredes transiturum, ac reliqua ejus bona, quibus est adnexum; tunc enim sicut reliqua bona auferuntur in perpetuum hæredibus condemnati, sic auferetur juspatronatus, & manebit Ecclesia libera. At quando institutor vocaret alios successores in id juspatronatus, non maneret libera in perpetuum, sed durante condemnati vita. Quia tunc non confiscari in perpetuum docent *Marianus Socinus Junior consil. 51. numer. 6. volum. 2. Gygas de crimine læsæ majestatis l. 2. tit. de penis committentium id crimen, quæst. 4. num. 4. Peregrinus de jure fisci, l. 5. titul. 1. numer. 72. Bajardus addit. ad Julium Clarum, l. 5. quæst. 78. num. 26.* Et sic in propriis terminis videtur tenere *Cantera* (ut ex ipso notavi *num. 15.*) Atque ea est disparitatis ratio, quia in priori casu nullum jus habent hæredes ad juspatronatum, cum ad illud vocati non sint: sed solùm se habent ad illud, sicut ad reliqua relinquentis bona: ac proinde sicut ob id patroni delictum privantur his, privabuntur etiam illo. At in posteriori casu habent jus succedenti post illius patroni vitam, ex institutoris vocatione: hoc autem jure privari non debent, nisi durante eius vita. Sicut in reliquis bonis fideicommisso subjectis contingit.

SUMMARIUM.

Fundus, in quo est impositus census Ecclesiæ, publicatur ob domini delictum, num. 18.
Explicatur quando emphyteosis, sive Ecclesiastica, sive sæcularis, ad hæredes extraneos transeat, num. 19.
Neutra confiscatur, quando non transit ad hæredes extraneos, num. 20.
An confiscetur tunc emphyteosis sæcularis, durante emphyteota vita? num. 21.
Quid si sit Ecclesiastica? num. 22.
Quid si esset specialis alienandi prohibitio? num. 23.
Ad quem deveniat, quando non publicatur? num. 24.
An publicetur sæcularis ad hæredes extraneos transiens? n. 25.
An possit domino directo instante cogi fiscus eam in personam non ita potentem alienare? num. 26.
An teneatur domino directo jus suum integrum servare, & ex illius venditione laudemium solvere, & eum volentem emere præferre? num. 27.
An Ecclesiastica potens ad hæredes extraneos transire, publicetur? Refertur quædam sententia, ac explicatur, quid nomine emphyteosis Ecclesiasticæ intelligatur, num. 28.
Explicatur sententia Auctoris, num. 29.
An hæc confiscetur irrevocabiliter, ita ut nequeat Ecclesia intra biennium revocare? Refertur quædam sententia, n. 30.
Declaratur sententia Auctoris, num. 31.
An Ecclesia non revocans intra biennium, possit contra ejus temporis lapsum restitui? num. 32.
An meliorامenta facta in re emphyteotica pertineant ad emphyteotam, soluta emphyteosi, ac ob illius crimen publicentur: an potiùs pertineant ad dominum directum? Refertur quædam sententia, num. 33.
Explicatur sententia Auctoris, num. 34. & 35.
Qualis debeat esse culpa emphyteota, ut ob eam redeat emphyteosis ad dominum directum cum omnibus meliorامentis? numero 36.
An emphyteosis nominationis publicetur? num. 37.
An confiscetur dominium emphyteosis directum ob domini delictum? num. 38.
Feudum quando confiscetur? num. 39.

18 Quæstio posterior. An emphyteosis, & feudum à delinquente possessa, publicentur inter reliqua ejus bona? Et quidem incipiendo ab emphyteosi, res certa est, fundum debentem Ecclesiæ censum publicari ob domini delictum, ac fiscum teneri ad redditus ejus census Ecclesiæ solvendos. Quòd census impositio impediat potestatem transferendi dominii fundi illius. Atque ita docent *Simancas de cathol. instit. tit. 9. numer. 20. & 98. Vasquez 1. 2. quæst. 96. articul. 5. disp. 169. c. 1. num. 10. in fine, Azor. tomo 1. instit. moral. l. 8. c. 12. quæst. 12.*

19 Difficultas autem est de fundo in emphyteosim dato ab Ecclesia, aut ab alio privato huic delinquenti, an inter ejus bona publicetur? Præmittere brevissimè oportet, quando emphyteosis ab Ecclesia alicui concessa transeat in extraneos ejus hæredes. De quæ re latè *Covar. lib. 2. var. cap. 17. numer. 5. & Simancas de cathol. instit. tit. 9. a numer. 99.* ubi duas referunt sententias, priorem dicentem posse ita concedi, ut transeat ad hæredes extraneos: posteriorem verò id negantem. Sed optimè utramque conciliant *Bartholomeus Socin. consil. 266. numer. 33. volum. 2. Ruinus consil. 17. numer. penult. & consil. 155. num. 12. volum. 1. Bossius in sua pract. tit. de bonorum publicatione, numer. 60. & 73. Simancas eo tit. 9. num. 102. & 103. Azor. tomo 1. instit. moral. lib. 8. cap. 12. quæst. 11.* ut prior sit vera, nempe, transire, quando est res illa in perpetuam emphyteosim data, servatis universis solemnitatibus jure petitis ad rei Ecclesiasticæ alienationem: posterior autem, quando eæ solemnitates non servantur. Quia si adhibitis illis solemnitatibus potest in perpetuum proprietas rei Ecclesiasticæ alienari, poterit à fortiori utile ejus dominium. De emphyteosi autem à privato concessa, ait *Julius Clarus in sua practic. libro 4. §. Emphyteosis, quæst. 29. numero unico*, quando est concessa simpliciter, eam transire ad hæredes extraneos, nisi in concessione adjiciantur verba, ex quibus conjiciatur noluisse contrahentes eum transitum.

20 Prima conclusio sit. Emphyteosis sive ab Ecclesia, sive ab aliquo privato accepta, quando ex sua institutione nequit transire ad hæredes extraneos, minimè transit in fiscum. Hæc ab universis Doctoribus citandis asseritur tamquam indubitata. Quòd regula universalis tradita *capit. 14. num. 5.* sit, ut non transeuntia ad hæredes extraneos, nec in fiscum transeant.

21 Sed duplex difficultas est circa hanc conclusionem. Prior est, an commoditas hujus emphyteosis non transeuntis ad hæredes extraneos, pertineat ad fiscum, dum emphyteota vivit? Et quidem quando emphyteosis est non ab Ecclesia, sed ab alio concessa, conveniunt communiter Doctores eam commoditatem pertinere ad fiscum, deducta pensione solvenda habenti dominium directum illius. Sicut contingit in aliis delinquentis bonis fideicommisso subjectis. Quod nulla sit discriminis ratio in utroque casu, eò quòd reus ille potiturus illa erat tempore vitæ suæ. Et ideò ita tenent *Nellus de bannitis 1. p. secundi temporis, num.*

num. 24. Gygas de crimine læsæ majestatis, lib. 2. titul. de penis committentium id crimen, quæst. 6. num. ultimo, Farinacius in sua præt. in nova editione, tomo 1. par. 1. tit. de delictis, & pœnis quæst. 25. num. 58. Molina tomo 2. de just. disp. 481. colum. 4. versic. Primum, ac præcipuum, & tomo 3. disp. 656. numer. 3. Idem sentit apertè *Peregrinus de jure fisci, lib. 5. tit. 1. num. 120.* Nam ait resolutionem hujus pendere ex iis, quæ *eodem titul.* dixerat in materia feudi, & fideicommissi; at *nu. 115.* dixerat fructus feudi publicari durante possidentis illud vita, & *num. 101.* dixerat idem de fideicommisso. Quare minùs benè *Vasquez 1. 2. q. 96. art. 5. disp. 169. cap. 3. num. 26.* ait fructus non publicari, sed consolidari cum dominio directo.

22 At quando emphyteosis est ab Ecclesia accepta, est major difficultas. *Nellus num. præcedenti* allegatus, etsi videatur de sola sæculari emphyteosi loqui, at non ita se explicat, quin videatur etiam indistinctè loqui. Et *Gygas, & Molina utroque loco ibi* relati, loquuntur de utraque indistinctè: & *Farin. ibi quoque* relatus dicit in antiqua editione se hanc sententiam sustinuisse. Quippe nulla discriminis ratio inter utramque assignari valeat. At probabilius est, nec fructus publicari, sed integrè cum emphyteosi redire ad Ecclesiam habentem directum illius dominium. Quòd probatur ex *c. Felicis 5. versicul. Si qua vero feuda, de pœnis, in 6.* ubi textus loquens de reo læsæ majestatis in Pontificem, sic ait. *Si qua vero feuda, locationes &c. ab Ecclesiis obtinet, sit eis ipso jure privatus, quæ sic liberè ad Ecclesias revertantur*. Ubi sub generico *locationum* nomine comprehenditur emphyteosis tamquam species. At non liberè revertereturr, si fiscus durante condemnati vita potiretur fructibus, ac commoditatibus ejus. Et ideò hanc partem tuentur *Ruinus consil. 117. ad finem, volum. 1. Hieron. Gabriel*, latissimè probans, & multos allegans, quos non affero quia solùm dicunt emphyteosim Ecclesiasticam non publicari, quod optimè intelligi potest de confiscatione perpetua, *consil. 73. à numer. 3. usque ad 10. vol. 2. Farinacius* retractus sententiam, quam olim habuerat, *ea qu. 25. in nova editione, num. 48. versic. Verum*. Et quamvis *Ruinus ibidem* asserat, sive emphyteosis illa redeat statim ad Ecclesiam, sive ad alios ad illam vocatos: hoc non credo, quia id privilegium in Ecclesiæ favorem inductum extendi ad alios privatos non debet: quare tunc fruetur fiscus illis fructibus, perinde ac fruitur in emphyteosi non Ecclesiastica. Quod ex verbis citatis *d. c. Felicis* colligitur apertè, ibi: *Liberè ad Ecclesias revertantur*. Ergo solùm id privilegium est, quando emphyteosis ad Ecclesiam redit, quando autem hoc contingat, dicetur *num. seq.*

23 Id demum circa hanc difficultatem monuerim, si ultra citata legis prohibitionem alienandæ emphyteosis, esset specialis alia ejus alienandæ prohibitio, non pertinerent ad fiscum ii fructus durante delinquentis vita, sed ad sequentem successorem, sive sit emphyteosis Ecclesiastica, sive sæcularis. Quod constat ex dictis *cap. præcedenti, nu. 15.* ubi contra alios *ibi num. 14.* relatos sustinui hoc operari expressam alienandi prohibitionem. Atque in propriis terminis docent *Bossius in sua pract. tit. de bonorum publicatione, nu. 60. Hieron. Gabriel consil. 73. num. 11. volum. 2.* Quod extendi, & limitari debet, prout extendimus, & limitavimus *cap. præcedenti, à num. 18.*

24 Posterior difficultas est. An emphyteosis non transiens ad hæredes extraneos, & ob id non publicata cum reliquis delinquentis bonis, redeat semper ad dominum directum? Nam textu *c. Felicis, versic. Si qua verò de pœnis in 6.* expressè decernitur feuda, & locationes, in quibus clauditur emphyteosis, debere redire ad Ecclesiam. At id intelligi debet, quando non sunt alii ad eam vocati, & ita devenire ad fiscum perpetuò debebat; & ita similiter tunc emphyteosis sæcularis rediret ad dominum directum. At si alii sunt vocati, ut si esset concessa pro illo reo, & suis filiis, aut alia persona, deveniret ad sequentem vocatum. Quòd nulla æquitas patiatur, ut quando emphyteosis, qualicumque non poterat vi investituræ devenire ad fiscum, ob delinquentis crimen, spolientur illa ratione ejus delicti, qui vi investituræ ad illam vocantur. Atque ita docent *Ruinus consil. 25. num. 12. volum. 5. Molina tom. 2. de justit. disput. 481. colum. 3. conclus. 3. junctâ colum. 4. versic. Dixi sive ea emphyteosis*. Qui optimè addit hoc intelligi, quando sequentes vocati sunt ejus successionis capaces; quòd si omnes illi sint succedendi incapaces, redire ad habentem dominium directum, & cum illo consolidari. Atque *idem Molina ibi, col. 5. versic. Additum est*, explicat hoc addi, propter filios ejus, qui commisit crimen læsæ majestatis humanæ, qui etsi vocati sint, succedendi incapaces sunt in eam, si ex ultima voluntate sit institutus: & in regno Lusitano, quamvis ex donatione, aut alio contractu inter vivos, etsi jure communi, & Castellæ, solùm sint incapaces, quando ex ultima voluntate. Quod etiam nos dicemus *cap. 29. num. 11.*

25 Secunda conclusio. Si emphyteosis non sit Ecclesiastica, idest, accepta ab Ecclesia, sed ab aliis, & possit ad hæredes extraneos transire, publicatur cum cæteris emphytheotæ bonis, & fiscus erit deinceps emphyteota habentis dominium directum. Quia quæ ad hæredes extraneos devenire possunt, non existente alia speciali prohibitione, possunt quoque ad fiscum devenire. Ut probavi *cap. 14. num. 5.* Nec est aliqua specialis ratio hanc emphyteosim inter condemnati bona existentem excipiens. Et ita docent *Bart. l. Si finita 15. §. Si de vectigalibus, num. 6. ff. de damno infecto & ibi Alexand. nu. 36. Imola, nu. 54. Idem Imola, c. Ex parte, num. 22. de feudis, Baldus consil. 285. num. 1. volum. 2. Bartholomæus Socinus consil. 121. num. 18. volum. 4. & consil. 266. nu. 32. volum. 2. Ruinus consil. 117. nu. 1. & consil. 155. num. 10. volum. 1. Berosus consil. 114. num. 54. volum. 1. Anchar. in repetitione c. Postulasti, num. 55. quæst. 9. de foro compet. Bernardus Diaz in sua practica, in nova editione, cap. 132. num. 4. Bossius in sua practica, tit. de bonorum publicatione, num. 60. Quemada in suis quæst. fiscalibus, quæst. 11. Julius Clarus in sua practica, l. 4. §. Emphyteosis quæst. 29. num. unic. versic. Tu dic, Simancas de Cathol. instit. tit. 9. nu. 97. Flotus inter consilia criminalia Zileti, tomo 1. consil. 130. nu. 67. Farinacius in sua practica, in nova editione, tomo 1. part. 1. tit. de delictis, & pœnis quæst. 25. num. 59.* ubi & alios allegat, *Molina tomo 2. de justit. disp. 481. colum. 2. conclus. 1. Vasquez 1. 2. quæst. 96. art. 5. disput. 169. c. 3. num. 25. Azor. tom. 1. instit. moralium, lib. 8. cap. 12. qu. 11.* Quare minùs benè *Cantera in suis quæst. criminalibus, tit. de quæst. tangentibus punitionem delictorum, cap. 1. num. 46.* ait hanc emphyteosim non transire in fiscum, sed consolidari dominium utile cum proprietate, nec esse in hoc discrimen inter emphyteosim Ecclesiasticam, & sæcularem. Ducitur, quia neutra in potentiorem alienari potest. At facilis est solutio, non enim potest irrevocabiliter, nec aliquo modo per contractum; at potest per delictum, & tunc revocabiliter, ut *num. sequenti* explicabimus.

26 Potest tamen cogi fiscus ad instantiam domini directi, ut eam alienet, & transferat in personam, quæ non ita potens, totque privilegiis gaudens sit. Quia cum fiscus plurimis privilegiis gaudeat, nec umquam moriatur, aut deficiat, redderetur longè deterior domini directi absque sua culpa conditio in multis, perseverante emphyteosi apud fiscum. Cum fiscus sit potentior non sola ipsius conveniendi difficultate, sed ob multa privilegia, quibus gaudet; præsertim quia numquam esset caducitatis spes, eò quòd fisco competet restitutio in integrum: neque ob successorum finem res illa ad dominum rediret, cum fiscus numquam moriatur. Præterea, quia transitus in potentiorem est interdictus ob hoc domini damnum. Ut tradunt Doctores *cap. finali, de locato*. Atque ita docent *Alex. Quemada, & Molina* alleg. *n. prac. Guillelmus de Cuno* relatus *ab Alex.*

27 Insuper etsi maneat apud fiscum, tenetur fiscus integrum suum jus domino servare, quod habebat in emphyteosi, dum à delinquente possidebatur. Quòd in alterius locum succedens debeat eodem jure uti. *Regula Is qui in jus 46. de regul. juris, in 6.* Atque ita docent *Quemada; Simancas, Vasquez, & Azor.* allegati, *numer. 24.* Quare benè ait *Quemada* teneri fiscum ad ejus contractus universas conditiones servandas, & ad solvendam pretii decimam, quæ laudemium dicitur, si fundum illum emphyteoti, cum alienarit, & ad præferendum dominum directum volentem id dominium utile emere: & dicit se ita contra fiscum pronuntiasse, ac ejus sententiam confirmatam in supremo Inquisitionis Consilio. Atque satis favet textus *l. finalis C. de locatione prædiorum lib. 11.*

28 Sed de emphyteosi Ecclesiastica est speciale dubium, an quoties potest transire in hæredes extraneos, publicetur ob emphyteotæ delictum? Nomine autem hujus emphyteosis intelligitur illa, quæ accipitur ab Ecclesia, Xenodochiis, & locis piis. Ut benè tradit *Flotus inter consilia criminalia Zileti, tom. 1. consil. 130. num. 66.* Quidam publicari negant. Ducuntur autem, quòd ea perveniente ad fiscum, redderetur conditio Ecclesiæ deterior. (Ut *num. 26.* explicuimus) Præterea, quia hoc privilegium indulgetur Ecclesiæ. §. 1. *versicul. Si verò contigerit quamlibet rem, authent. de alienat. & emphyt.* Hujus sententiæ sunt apertè *Bar. l. Si finita 15. §. Si de vectigalibus, num. 6. ff. de damno infecto & ibi Alexand. nu. 36. Baldus consil. 284. num. 1. volum. 1. Imola c. Ex parte, num. 22. de feudis. Anchar. repetitione c. Postulasti, qu. 6. num. 53. de foro competenti, Bernardus Diaz in sua practica, in nova editione, c. 132. num. 4.* Nam posita distinctione in emphyteosi sæculari, an transeat, nec ne, in hæredes extraneos, & dicentes in priori casu publitari, secùs in posteriori, dicunt postea absolutè Ecclesiasticam non publicari. Et in propriis terminis tradunt *Romanus eo §. Si de vectigalibus, numer. 11. Berosus consil. 114. numer. 54. volum. 1. Julius Clarus in sua pract. lib. 4. §. Emphyteosis, qu. 29. num. unico, versic. Breviter si emphyteosis, Molina tomo 2. de justit. disput. 481. col. 3. conclus. 2.*

29 Tertia tamen conclusio sit. Verius est eam publicari ob emphyteotæ delictum. Ducor, quòd nullibi id Ecclesiæ privilegium reperitur, ut hæc emphyteosis non publicetur. Nam textus, cui contrarii innituntur, qui *num. præcedenti* relatus est, potiùs hanc partem probat, nam cum decidat dari Ecclesiæ optionem, an velit confiscationem stare, ac habere fiscum emphyteotam, an potiùs emphyteosim ad se revocare, supponit planè eam ipso jure publicatam esse, aliàs inanis esset revocationis concessio, sed vindicatio concederetur, nec limitaret, ut solo biennio revocare posset. Quippe quando emphyteosis sæcularis non confiscatur, eò quòd ad hæredes extraneos non transeat, potest absque aliqua temporis limitatione tamquam indebitè à fisco occupata vindicari. Ut benè tradunt *Bart. eo §. Si de vectigalibus, num. 6. Ruinus consil. 155. num. 11. in fine, & num.*

& num. 12. *vol.* 1. Cur ergo si Ecclesiastica non confiscaretur, limitandum esset Ecclesiæ biennium ad revocationem? Præterea, quia non obstat ratio adducta *nu. præcedenti*, nempe, reddi conditionem Ecclesiæ deteriorem reditu hujus emphyteosis in fiscum. Nam eadem ratio militat in emphyteosi sæculari: nec tamen ob id confiscatio impeditur: quia (ut diximus *nu.* 26.) id malum vitatur coacto fisco, ut eam transferat in personam privatam. Quo medio Ecclesia quoque potest uti. Tandem, quia data contrariæ sententiæ veritate, non potest habere locum decisio textus pro ea allegati, cum sit juris civilis disponentis expressè de re Ecclesiastica, nec favorem continentis, sed potiùs odium: utpote quod limitat tempus revocandæ emphyteosis, quam injustè fiscus usurparat. Et ideò hanc sententiam tuentur *Farth. Socin. consil.* 266. *nu.* 32. *in fine*, *vol.*2. *Ruin. consil.*117. *num.*16. *versic. Potest etiam*, *& consil.*155. *num.*12. *vol.*1. *Chass. in consuet. Burgund. rubr.* 2. §. 2. *in princ. num.* 10. *Gygas de crimine læsæ majest. lib.* 2. *tit. de pœnis committentium id crimen*, *q.* 6. *num.* 4. *&* 5. *Boss. in sua pract. tit. de bonorum publicatione*, *num.*60. *&* 73. *Quemada in suis quæst. fiscal. qu.*12. *Plot. inter consilia criminalia Zileti*, *tom.*1. *consil.* 130. *num.* 66. *&* 72. *Simanc. de Cathol. inst. in tit.* 9. *num.*103. *Farinac. in sua pract. in nova editione*, *tomo* 1. *part.*1. *tit. de delictis*, *& pœnis*, *q.*25. *num.* 56. *versic. Sed quod imo*. *Azor. tomo* 1. *instit. moralium*, *lib.* 8. *cap.*12. *qu.*11. Et apertè colligitur ex Doctoribus aliquibus allegandis *num. sequenti*, qui ideò dicunt dari opinionem Ecclesiæ ad revocandum emphyteosim intra biennium, quòd ad hæredes extraneos non transeat, quasi supponentes transire perpetuò in fiscum, quando ad hæredes extraneos transit. At hæc sententia limitatur, quando confiscatio fit à judice Ecclesiastico, secùs quando à sæculari. Sic *Gygas*, *num.* 6. *Farinacius*, *nu.*57. alios allegans, *Franciscus Lucanus de jure fisci*, *part.*2. *principali*, *tit. de publicatione bonorum num.*8.

30 Sed grave dubium est, an Ecclesiæ optio detur revocandæ ejus emphyteosis, sic confiscatæ, an potiùs debeat manere perpetuò apud fiscum? Aliqui negant revocandi facultatem, & ajunt perpetuò apud fiscum mansuram. Quia textus, §. 1. *versic. Si verò contigerit quamlibet res*, *authent. de alien. & emphyteosi*, cui hæc revocandi facultas innititur, procedit eo quod tunc non erat sancitum posse emphyteosim Ecclesiasticam ad hæredes extraneos transire. Cum ergo jam possit, cessat ea dispositio. Insuper ille textus de sola Ecclesia Constantinopolitana loquitur. Quare *Imol. l. Si finita* 15. §. *Si de vectigalib. num.* 54. *ff. de damno infecto*, ait id privilegium ad alias Ecclesias non extendi. Adde eum textum esse juris civilis, & cum specialiter circa res Ecclesiasticas disponat non erit attendendus, tamquam mittens falcem in messes alienas. Juxta notata in *c. Ecclesia*, *de constit.* Atque ideò hanc partem tenent *Boss. in sua practica tit. de bonorum publicatione*, *num.*60. & quamvis postea dubitet, concludit tamen hoc esse verius, & ita fuisse judicatum Mediolani atque *num.* 73. tenet idem *Farinacius in sua pract. in nova editione*, *tom.* 1. *p.* 1. *tit. de delictis*, *& pœnis*, *q.*25. *num.* 56. *versic. Sed quod imo*. Et apertè videntur ejusdem sententiæ *Bald. authen. Ingressi*, *num.* 13. *versic. Sed quid ip emphyt. C. de sacros. Eccles. Alex. consil.* 23. *nu.*4. *versic. Tertio*, *vol.* 1. *Barth. Socin. consil.* 266. *nu.* 32. *versic. Quarto hoc idem*, *vol.*2. *Hippol. de Marsiliis*, *consil.* 49. *num.* 55. ubi dicunt emphyteosim Ecclesiasticam non confiscari cum effectu, sed dari Ecclesiæ optionem ejus revocandæ intra biennium, eò quòd nequeat ad hæredes extraneos transire. Quare apertè videntur negare hanc facultatem, quando transit ad hæredes extraneos.

31 At verius est, dari optionem Ecclesiæ, ut intra biennium deliberet, an malit revocare, quàm fiscum habere emphyteotam. Ducor ex *d.* §. 1. *versic. Si verò contigerit quamlibet res*, ubi expressè hoc decidit; nec potest hic textus intelligi de emphyteosi Ecclesiastica non transeunte ad hæredes extraneos. Cum enim illam non confiscari probaverimus *num.*29. non est cur revocanda sit. Et quamvis textus de sola Ecclesia Constantinopolitana loquatur, extenditur communiter ad cujuscumque Ecclesiæ emphyteosim. Ut tradunt *Alex. l. Si finita* 15. §. *Si de vectigalib. num.* 36. *ff. de damno infecto*, *& Julius Clarus* statim allegandus. Idque optimè docet *Bald. authent. Nisi rogati*, *num.* 13. *versic. Sed quæro quomodo potest esse. C. ad Trebell.* & id probat, quia quidquid in alicujus Ecclesiæ favorem statuitur, intelligitur esse jus generale, nisi contrarium inveniatur expressum, *auth. De non alien.* §. *Hæc ergo*. Nec obstat etiam esse jus disponens specialiter de Ecclesiis, cum sit civile: quippe ejus dispositio valet, quando privilegium concedit Ecclesiis, quale est hoc. Ut tradunt communiter Doctores *c. Ecclesia* 10. *de constit.* Et ideò sententiam hanc tuentur *Anton. consil.* 61. *num.*4. *Cardin. Clement.*2. *verbo*, *Inquisitorib. nu.* 4. *qu.*7. *de hæret. Bald. consil.*427. *num.*2. *vol.*3. *& l. Siquis presbyter* 20. *nu.*2. *versic. Ex ista lege C. de Episcop. & Cler. & ibi Salic. ad finem Imola c. Ex par. num.*22. *de feudis*. *Ruin. consil.* 155. *nu.*12. *vol.* 1. *Berojus consil.* 114. *num.*54. *vol.*1. *Julius Clarus in sua pract. lib.* 4. §. *Emphyteosis qu.*29. *num. unico*, *versi. Breviter si emphyteosis*, *Quemada in suis quæst. fiscalib. qu.*12. *Simancas de Cathol. instit. tit.* 9. *num.*104. *&* 105. *Plot. inter consilia criminalia Zileti*, *to.* 1. *consil.*130. *n.*72. *Hier. Gabriel. cons.*73. *n.*8. *vol.*2. *Vasquez* 1.2. *q.*96. *art.*5. *disp.*169. *c.*3. *n.*23. *Azor. to.*1. *instit. moralium*, *lib.*8. *c.*12. *qu.* 11. *Molina tomo* 2. *de justit. disp.*481. *col.*3. *concl.*2.

32 Quòd si roges, an si id biennium labatur, possit Ecclesia adversùs illius lapsum restitui, & sic petere revocationem? *Quemada in suis qq. fiscalibus q.* 13. quamvis dubius, ac cogitandum relinquens, inclinat in partem negantem: & sic ait se audivisse decisum in supremo Inquisitionis consilio. Ducitur, quia quando agitur de lucro captando privilegiatus non gaudet privilegio contra pariter privilegiatum *l. Verum* 12. §. *finali*, *ff. de minoribus*, *& l.* 2. *C. de privileg. fisci*. Atque ideò cum æquè Ecclesia, & fiscus privilegio minoris gaudeat, non erit illi integrum hoc restitutionis privilegio adversùs hunc uti. At dicendum est posse restitui. Probatur ex doctrina, quam tradunt *Baldus l. Pupillorum* 5. *in fine*, *C. de repud. hæred. & ibi Alexand. in fine*, *Romanus l. Si insulam*, *num.* 45. *ff. de verbor. obligat. & singulari* 94. ubi dicunt monasterium institutum sub conditione, ut intra annum ædificet Xenodochium, substituto alio monasterio ob conditionem non impletam, posse non implens conditionem restitui adversùs termini lapsum, contra monasterium substitutum. Et ratio est, quia minori competit restitutio adversùs conditionis à testatore injunctæ omissionem. Ut constat ex *l.* 3. §. *Etsi hæres ff. de minor.* Cum ergo Ecclesia privilegio minoris utatur *cap.* 1. *de restitut. in integrum*, poterit similiter restitui. Nec obstat fundamentum contrarium, non enim est par utriusque monasterii conditio: quia institutum non agit de lucro omnino captando, sed partim de damno amissionis lucri non acquisiti ob implendæ conditionis negligentiam: at substitutum agit de lucro omnino captando ob instituti negligentiam. Atque similiter in nostro casu dispar est utriusque privilegiati causa, nam Ecclesia agit de vitando damno amissionis suæ emphyteosis, & translationis in fiscum potentiorem. At fiscus agit omnino de lucro captando. Quare hanc sententiam tradunt *Simancas eodem titul.* 9. *num.* 106. *Vasquez eodem cap.* 3. *num.* 23. Et generaliter posse Ecclesiam contra fiscum restitui tradit *Sportias Oddo de rest. in integrum*, *par.*1, *q.*18. *art.*1. *2. nu.* 82. ubi alios refert.

33 Sed adhuc est difficultas, an melioramenta facta in re emphyteotica per illum delinquentem, pertineant ad Ecclesiam recuperantem emphyteosim à fisco, an potiùs ad fiscum cum reliquis delinquentis bonis? *Simancas eodem tit.* 9. *num.*107. *& duobus sequentibus*, *Vasquez eodem c.*3. *num.*24. *& Azor. tomo* 1. *instit. moralium*, *lib.*8. *cap.*12. *qu.*11. sic distinguunt. Si facta sint à delinquente post lapsum in crimen ob quod bona publicantur ipso jure, ut in hæresi contingit, pretium illorum pertinebit ad fiscum, & proinde Ecclesia emphyteosim recuperans tenebitur id fisco solvere. Quòd à die illius criminis maneant universa delinquentis bona fisco obligata, inter quæ computantur labor, industria delinquentis, & expensæ in iis melioramentis appositæ. At si ante lapsum in crimen facta sint, pertinebunt ad Ecclesiam, quæ nil pro eis tenebitur fisco solvere. Quippe contractus emphyteoticus ex sua natura ita celebratur, ut res data in emphyteosim maneat semper sub directo dantis illam dominio; ad ipsumque pertineant omnia melioramenta facta in ea; ob id enim res magni momenti datur pro parva annua pensione, quòd aliquè emolumenta dominus directus percipiat, inter quæ est hæc præcipua, ut ipsius sint melioramenta. Insuper id probat *Simanc. eo num.* 109. quia passim tradunt Doctores emphyteosim amissam ob emphyteotæ delictum, redire ad nominum cum omnibus melioramentis. Hanc quoque posteriorem partem tuetur *Sarmiento lib.* 3. *selectarum cap.* 4. *num.*4. ut explicabo *num. sequenti*.

34 Verùm hæc sententia, quo ad priorem partem est certa; quo ad posteriorem autem non caret difficultate. Quippe (ut optimè ait *Sarmiento n. praced.* relatus) quæstio hæc pendet ex alia, nempe, cujus sint melioramenta facta in emphyteosi, quando ea absque emphyteotæ culpa finitur, ut quia data est ad certum tempus, & illud est lapsum; aut alia ratione absque ea culpa. Nam tenendo pertinere ad dominum directum, est dicendum ea non publicari ob emphyteotæ crimen, sed domino cedere: & ideò dixi *nu. præcedenti Sarmiento* esse illius sententiæ quia sustinet *ibi*, *a num.*1. *usque ad* 5. ea melioramenta pertinere ad dominum. At tenendo non pertinere, nisi ad emphyteotam, est dicendum æstimationem eorum publicari, tamquam bona emphyteotæ, sicut etiam ea æstimatio pertineret ad hæredes ejus. Atque cum sit communis hæc sententia, ut fatetur *ibi Sarmiento num.*1. Et eam allegatis *Pinello*, *Gama*, *Julio Claro*, *Alvaro Valasco*, sustinet optimè *Molina tomo* 2. *de justit. disp.*463. *concl.* 2. dicens finita emphyteosi absque emphyteotæ culpa pertinere ad ipsum ac ejus hæredes etiam extraneos melioramenta facta in emphyteosi, non quidem quo ad dominium, nam sequuntur proprietatem, sed quo ad æstimationem, sive emphyteosis sit sæcularis, sive Ecclesiastica, nisi aliud in emphyteosis institutione conventum sit, vel nisi expensæ in re meliorata sint modicæ. Ut cum aliis limitat *Molina eadem disp.*463. *colum.*5. *vers. Illud est observandum*, ubi etiam tractat, quæ dicantur modicæ. Ideò retenta hac sententia, quæ verior est, dicendum est pertinere ad fiscum æstimationem illorum melioramentorum quando non sunt modicæ expensæ. Quia ea æstimatio est delinquentis, & ad ejus hæredes pertinere deberet. Et ita docent *Cardinalis d. Clemen.* 2. *verbo Inquisitoribus num.*4. *qu.* 7. *Bernardus Diaz in sua practica*, *in nova editione c.*132. *nu.*4.

Joan-

Joannes Garzia de expensis cap. 10. *num.*51. *Molina tom.*2. *de justit. disputatione* 481. *colum.* 3. *concluf.* 2. Et optimè ait *Bernard. Diaz ibi* hoc procedere, etsi emphyteosis sit Ecclesiastica.

35 Quare concludo, sive emphyteosis, qualiscumque sit illa, publicetur, sive non, æstimationem melioramentorum quam *numero præcedenti* diximus esse delinquentis, ac ejus hæredum, semper publicari, & transire ad fiscum tamquam bona delinquentis. Differentia autem erit, quia quando emphyteosis ipsa confiscatur, transibunt in fiscum melioramenta cum illa; at data Ecclesiæ, quando erat Ecclesiastica, optione revocandæ emphyteosis, cum melioration-ibus intra biennium, solvendo fisco meliorationum æstimationem: quando autem non confiscatur, sola melioramentorum æstimatio erit fisci, manentibus emphyteosi, & melioramentis apud dominum directum. Constat ex dictis *nu. præcedenti*, juncto *num.*31.

36 Nec huic sententiæ obstat, tunc amitti emphyteosim ob emphyteotæ culpam, in quo casu debet redire ad dominum, cum omnibus melioramentis, nulla eorum æstimatione soluta, Quia non qualiscumque culpa hoc efficit, sed sola, quæ adversùs leges, & pacta emphyteosis patratur: Ut quia illius pensio non solvitur, aut aliæ ejus conventiones infringuntur. Ut optimè traduunt *Sarmiento l.* 3. *selectarum*, *cap.*4. *num.* 4. *Vasquez* 1.2. *qu.*96. *art.*5. *disp.* 169. *cap.*3. *num.*25. *Molina tomo* 2. *de justit. disput.*481. *col.*3. *concl.*2. *in fine*.

37 Quid autem dicendum sit de emphyteosi nominationis conlulantur *Caldas de nominatione emphyteotica*, *qu.*5. *Molina tomo* 2. *de justit. disp.*481. *col. penultima*, *à vers. Quo ad emphyteoses*.

38 Quando delictum non est ipsis emphyteotæ, sed habentis directum ipsius emphyteosis dominium: tunc id dominium confiscatur, & emphyteota solvet pensionem fisco, ac illum tamquam emphyteosis dominum deinde recognoscet. Quòd cum ea emphyteosis sit in ejus dominio, confiscatur cum ejus bonis. Sic *Cantera in suis qu. criminalibus*, *tit. de quæstionibus tangentibus punitionem delictorum c*, 1. *num.* 46.

39 Demum circa feudi confiscationem, multi Doctores quos refert *Farinacius in sua practica*, *in nova editione*, *tom.* 1. *part.* 1. *tit. de delictis*, *& pœnis quæst.*25. *nu.* 62. brevissimè hoc resolverunt, dicentes id non publicari. Atque *Simancas de institut. cathol. titul.* 9. *num.* 120. brevissimè dixit illud non publicari, nisi ita liberum sit, ut possit alienari. At longiori consideratione res hæc indiget: & quia raro eveniet casus, nec feuda in hoc regno sunt in usu, consulatur *Farinacius*, qui *eo loco* multis allegatis hoc latissimè disputat.

CAPUT XX.

An bona Ecclesiarum, & clericorum publicentur ob ipsius clerici crimen: & an hæretici damnati tamquam contumacis bona ita publicentur, ut si elapso anno compareat, non sit quo ad bona audiendus: & an publicatio extendatur ad bona sita extra publicantis territorium, & ad quem fiscum ea pertineant.

SUMMARIUM.

*Quot sint clericorum bona? num.*1.
*Quot quæstiones disputandæ sint? nu.*2.
Refertur textus Clem.2. de hæretic. *ubi duplex actio excommunicationi subjicitur*, *num.*3.
An commissarii Inquisitorum, *Episcoporum*, *Capitulorum sede vacante*, *illas actiones agentes incurrant*: *& qui dicantur commissarii? num.*4.
*An includantur Inquisitores? num.*5.
An includantur Episcopi, *Capitulum*, *sed vacante*, *habentes jurisdictionem quasi Episcopalem*, *& horum vicarii? nu.*6.
An exigatur extortio pecuniæ, *quæ concussio sit*, *ad hanc excommunicationem incurrendam? num.*7.
*An exigatur extortio pratextu officii? nu.*8.
Nomine pecuniæ clauditur quodcumque pecuniæ æstimabile, *n.*9.
*Quid si extorqueatur mutuum? nu.*10.
An exigatur scienter applicari bona Ecclesiæ fisco, *& qua ignorantia excuset? num.*11.
Exigitur ea bona esse Ecclesiarum, *nec sat est esse clericorum*, *numero* 12.
*Quid si sint bona religiosi præfecti alicui Ecclesiæ? num.*13.
Quid si sint alia religiosi bona, *etiam ordinis Minorum? nu.*14.
Exigitur publicationem hanc pratextu officii fieri, *nu.*15.
*An sufficiat attentare hanc publicationem? nu.*16.
An incurratur hac censura, *applicando hac bona sibi*, *aut fisco seculari? num.*17.
An possit inferior Pontifice absolvere ab excommunicatione contra extorquentes pecuniam, *non præmissa plena ejus restitutione*, *& qua dicatur realis restitutio? num.*18.
Quid si absolvendus sit impotens ad restituendum? nu. 19.
An sit opus etiam restituere expensas, *& pœnam? nu.*20.
An excommunicatio contra publicantes bona Ecclesiarum, *petat præmitti eamdem restitutionem*, *ut possit ab illa inferior absolvere? num.*21.
*Post num.*21. *invenies alia summaria*.

1 QUadruplicia bona possunt à clericis possideri. Quædam sunt ipsius Ecclesiæ, ut domus, prædia, & similia, ex quibus sæpè redditus beneficii percipiunt. Alii sunt, quæ intuitu Ecclesiæ acquiruntur, ut fructus beneficiorum, aut quæ intuitu Ecclesiæ ipsis donantur. Alia sunt patrimonialia, ut quæ ex proprio patrimonio habent, aut propria industria intuituve personæ comparant. Tandem alia quasi patrimonialia, nempe, quæ non sunt beneficii fructus; at ratione alicujus ministerii Ecclesiastici obtinentur, ut pro sacris faciendis, concionibus, ministerio sacramentorum, sepeliendis defunctis: ministerio vicariæ ad tempus concessæ.

2 Quadruplex est tractanda quæstio. Prima de bonis Ecclesiarum. Secunda, de bonis clericorum. Tertia, de bonis hæretici ob contumaciam damnati, restituendis sibi comparent transacto anno, ac se purganti. Ultima, de confiscandis bonis delinquentis sitis extra confiscantis territorium, & cujus fisci ea sint.

3 Quæstio prima. An ob clericorum crimen bona Ecclesiæ publicentur? De hac re extat decretum in *Clem.* 2. *de hæret.* his verbis. *Inquisitoribus*, *& tam ipsorum*, *quàm Episcoporum*, *seu capitulorum sede vacante*, *super hoc deputatis commissariis quibuscumque districtius injungentes*, *ne pratextu officii Inquisitionis*, *quibusvis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant*; *nec scienter attentent Ecclesiarum bona ob clericorum delictum*; *prædicti occasione officii*, *fisco etiam Ecclesiæ applicare*. *Quòd si secus in his*, *vel eorum altero fecerint*, *excommunicationis sententia eos subjacere decernimus ipso facto*. *A qua non possint absolvi*, *præterquam in mortis articulo*, *donec illis*, *à quibus extorserint*, *plenè satisfecerint de pecunia sic extorta*. *Nullis privilegiis*, *pactis*, *aut remissionibus super hoc valituris*. Ubi duplex actio excommunicationi subjicitur. Prior est, pecuniæ extortio: posterior, bona Ecclesiæ applicare fisco ob clericorum delicta. De utraque est seorsum agendum.

4 Sed prùs circa utramque actionem dubitatur, quæ personæ illas agentes includantur? Et quidem compertum est includi universos Inquisitorum, Episcoporum, aut Capitulorum sede vacanti commissarios ad negotia Inquisitionis. Quod universi hi in textu exprimantur. Nomine verò commissariorum intelliguntur vicarii eorum. Atque ita docent *gloss. ibi*, *verbo ipsorum D. Antonin.* 3. *p. tit.*24. *cap.*8. *Sylv. verbo Excommunicatio* 9. *casu* 42. *num.*81. *Tabiena verbo Excommunicatio* 5. *casu* 4. *quæst.* 16. *num.* 18. *Navar. summa c.* 27. *Hispanè num.*143. *& Latinè num.*142. *Suarez tomo* 5. *in* 3. *p. disp.* 23. *sectione* 5. *num.* 24. Quod est verum, sive sint vicarii, sive eorum substituti. Ut tradunt *gloss. D. Antonin. Tabiena*, *Sylv. Suarez ibidem*. Atque benè addit *Suarez* esse hoc verum, quamvis delegatio fit ad tempus, vel ad peculiarem causam. Quippe omnes hi dicuntur proprissimè commissarii.

5 Sed dubium est, an comprehendantur Inquisitores? Solum *Cardinalem eadem Clem.* 2. *verb. Inquisitoribus*, *num.* 1. *oppositione* 1. inveni hoc disputantem, & dicti hoc pendere ex contextu litteræ, qui anceps est; nam si clausula incipiat, *Inquisitoribus*, *& tam ipsorum &c.* constat Inquisitores claudi. Si verò incipiat. *Et tam ipsorum*, constat eos non claudi; ut rectè ait *Cardinal. ibidem*, qui dicit communiorem, & veriorem intellectum esse, ut incipiat *Inquisitoribus*, atque communiter Doctores in summam redigentes contexta in eo textu, includunt Inquisitores, ac eorum commissarios in hac excommunicatione. Ita *gloss. ibi in positione casus in notabili* 2. *Imola ibi statim in principio*, *Bonifacius statim in principio*, *D. Antoninus*, *Sylvester*, *Tabiena*, *Navar.* allegati *num. præcedenti*, *Cajet. in summa*, *verbo Excommunicatio*, *c.* 4. *Rosella verbo Excommunicatio* 1. *casu* 5. *Armilla verbo Excommunicatio*, *inter casus excommunicationis*, *casu* 20. *num. unico*. Atque idem tenent *Anchar. eo Clement.* 2. *num.*5. *notabili* 3. *& ibi Bonifacius num.* 41. *in fine*, *Suarez*, citatus *num. præcedenti*. Et ita tenendum est, nec enim facilè à tam communi sententia est recedendum, nullo existente pro contraria; si enim aliquem invenissem, illi facilè adhærerem. Nam viso litteræ contextu potest æquè bene; imò, & meliùs legi illud verbum, *Inquisitoribus*, cum clausula præcedenti, in qua præscribitur ætas creandis Inquisitoribus; ut sic incipiat clausula ab iis verbis: *Et tam ipsorum*; atque in editione Gregoriana noviter correcta ita se habet. Nam clausula præcedens finitur in verbo, *Inquisitoribus*. Et *ibi* apponitur punctus; ac litera majuscula incipit statim, *Et tam ipsorum*. Et eodem prorsus modo in editione antiqua ponitur. Quare saltem est dubium juris, in quo eventu non est censenda excommunicatio lata. Ut latè probavi *lib. praced. c.* 10. *num.*56.

6 Episcopi autem minimè includuntur. Quippe nulla ipsorum mentio *ibi* fit, fortè ipsorum dignitati deferendo *c.* 2 *de offic. deleg. in* 6. nec potest dici eos claudi homine Inquisitorum, cum soleant Episcopi nominari specificè in reliquis ad Inquisitorum officium pertinentibus, eò vel maximè, quod textus exprimat commissarios Inquisitorum, & Episcoporum: quod non fieret, si Episcopi nomine Inquisitorum claderentur.

rentur. Et ita docent *gl. eadem Clem. 2. verb. Commissariis*, *& ibi Imola num.5. Card. ibi verb. Inquisitoribus*, *nu.1. in oppositione 1. Bonifacius ibi à num.41. usque ad 46. D. Antonin. Angelus*, *Sylvester*, *Suarez* relati *numer. 4.* Quare minùs benè *Guillelmus* relatus *à Bonifacio* dixit Episcopos claudi, eò quòd plus delinquant. At id arguit eos ita delinquendo, alia pœna plectendos, non autem excommunicatione, quæ in solis casibus jure expressis incurritur. Atque similiter est dicendum non claudi Capitulum, sede vacante. Quia de solis ipsius vicariis textus meminit. Ita *Bonifacius ibidem*. Atque similiter non clauduntur Prælati jurisdictione quasi Episcopali gaudentes in propria diœcesi; nec credo claudi iplorum vicarios, seu commissarios ad peragenda Inquisitionis negotia in sua diœcesi. Quia etsi nomine vicariorum Episcopi videantur claudi, utpote qui sunt similiter vicarii jurisdictionis Episcopalis; at cum materia sit odiosa, & de his nulla mentio fiat, cum tamen textus mentionem fecerit vicariorum Capituli sede vacante, qui similiter sunt vicarii jurisdictionis Episcopalis, non est ea excommunicatio ad hos extendenda.

7 Deveniendo ad explicandas actiones, ob quas hæc excommunicatio incurritur: Prior est, pecuniæ extortio quibusvis modis illicitis prætextu officii. Quare ut sit causa hujus censuræ, debet aliquibus circumstantiis vestiri. Prima est, ut illicitè extorqueatur pecunia: quare secùs, si licitè. Quod omnes fatentur, & ex textu, & ex se est apertum. Secunda est, ut re vera sit extorta pecunia, nam si sponte via muneris offeratur pecunia, vel aliquid aliud non est locus huic censuræ. Sic *Armilla verbo Excommunicatio*, *inter casus excommunicationis*, *casu 20. num. unico*, *Suarez to. 5. in 3. par. disp. 23. sectione 5. num. 25.* benè addens, id esse verum, etsi norit Inquisitor, aut commissarius, sibi offerri prætextu officii. Nec fat est ad hanc censuram, si timore vexationis, aut rigoris Inquisitoris offerretur. Quippe exigitur concussionis crimen, quod teste *Sylv. verbo Concussio*, *qu.1. num.2.* est, cum quis in officio constitutus extorquet aliquid à subditis, metum inferens, aut debitum exequi non data pecunia recusans; quod in hoc casu non contingit. Ita *Bonifacius ea Clem. 2. num.49.* Et favent *glossa ibi*, *verbo Officii*, *& ibi Imola num.6. Anchar. num.5. notabili 3. Cardin. ibi verbo Inquisitoribus*, *numer. 1. in 2. oppositione*, dicunt enim peccatum *ibi* punitum, esse crimen concussionis.

8 Ultima est, ut sit extortio prætextu officii Inquisitionis; quare alio prætextu facta non subjacet huic pœnæ. Quia hæc conditio expresè petitur in ea *Clem. 2.* Et ita tradunt *glossa ibi verbo Prætextu*, *Imola num.5. Bonifacius num.48. Cardin. verbo Inquisitoribus*, *statim in principio*, *notabili 1. D. Antoninus 3. par. tit.24. cap.8. Angelus verbo Excommunicatio 7. casu 42. nu. unico*, *Tabiena verbo Excommunicatio 5. casu 4. qu. 17. nu.18. Sylv. verbo Excommunicatio 9. casu 42. n.81. Suarez* relatus *num. precedenti*.

9 Quamvis autem textus de sola pecuniæ extortione loquatur, clauditur nomine pecuniæ quodcumque pecunia æstimabile. Quia id omne pecunia æstimatur, & saris est ad concussionis crimen. Et ita docent *gloss. ibi*, *verbo Pecuniam*, *Imola num.6. Bonifacius num. 63. & 64. Cardinalis ibi*, *verbo Inquisitoribus*, *statim in principio notab. 2. D. Anton. Angelus*, *Sylv. Tabiena*, *Suarez* citati *n. precedenti*, *Cajet. summa*, *verbo Excommunicatio*, *c.4. & ibi Armilla inter casus excommunicationis*, *casu 20. num. unico*, *Navar. summa cap. 27. Hispana num.143. & Latina num. 142.*

10 Hinc deducitur ob solius mutui extorsionem non incurri hanc censuram. Quòd illud pecunia æstimabile non sit, nec pecunia simpliciter extorqueatur, utpote quæ est reddenda; at si postea non reddatur, sed prorsus usurpetur tamquam re vera data, incurretur hæc censura. Quia ex tunc est vera pecuniæ extortio. Quæ optimè docet *Suarez ibidem*.

11 Posterior actio, ob quam hæc excommunicatio incurritur, est applicare bona Ecclesiarum fisco, etiam Ecclesiæ, ob clericorum delictum. Ad quam primò exigitur hanc actionem fieri scienter. Sic enim explicatur in textu. Quare excusat quæcumque ignorantia, dummodò non sit adeò crassa, ut sit ingens temeritas, nec sit affectata. Ut probavi *lib. 9. de matrimon. disput. 32. numer. 39. & 40.*

12 Secundò exigitur, talia bona esse Ecclesiarum; nec textus loquitur de bonis clericorum. Ut ex contextu liquet. (Quæ autem dicantur bona Ecclesiarum, dixi *nu.1.*) Et ita docent *glossa eadem Clem. 2. verbo Ecclesiarum*, *Imola num.7. Bonifacius nu.67. Cardin. ibi*, *verbo Inquisitoribus*, *nu. 2. q.3. D. Anton. Sylv. Tabiena*, allegati *num. 8. Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 23. sectione 5. num.26.*

13 Hinc deducitur esse locum huic excommunicationi, si hi applicarent fisco bona acquisita a professo aliquo præfecto alicui Ecclesiæ, etsi intuitu personæ ea comparasset. Quia cum sibi ob professionem acquirere nequeat, Ecclesiæ acquirit, *c. unico 18. quæst.1.* Ita *glossa*, *Cardin. qu.4. Imola*, *Bonifacius nu.71.* ubi allegati sunt *num. preced.*

14 Atque idem crederem, si alia religiosorum bona, qui ordinis Minorum non sunt, & proinde monasterio acquirunt publicarentur ob religiosi delictum, ut libri, vestes. Quia cum ea bona sint monasterii, publicarentur utique bona Ecclesiæ. Sic clarè sentiunt *Simancas de cathol. instit. tit. 9. nu. 88. & Azor. tomo 1. instit. moralium*, *lib. 8. cap. 12. quæst.14.* aiunt enim non esse locum huic censuræ, si ob fratris Franciscani delictum hæc ejus bona publicarentur. Quia cum monasterium sit habendi proprii incapax, etiam in communi, hæc non sunt bona Ecclesiæ. Ex quo infert *ibi Azor.* allegato *Simancas eo num.88.* bona hujus monachi esse ob ejus hæresim publicanda. Quod nullatenus credo, nec id dicit *Simancas*, sed publicantem non incurrere hanc censuram, ob rationem traditam. Quia cum nec ea bona sint ipsius monachi, eò quòd sit proprii habendi incapax, non est cur ob ipsius delictum sint publicanda.

15 Tertiò exigitur, ut prætextu officii, idest, *occasione officii*, hæc bona fisco applicent. Sic enim dicit textus, & docet *Suarez* allegatis *num.12.*

16 Quartò exigitur fieri re vera applicationem. Quamvis enim textus non dicat, *ne applicent*, sed *ne attentent applicare*; quod verbum importare videtur quamcumque inchoationem, vel adhibitionem cujuscumque medii ad hanc applicationem, etiamsi conatus suo effectu frustretur: id enim est attentare. At re vera non est hic eorum verborum sensus, sed utitur textus terminis *attentationis*, eò quòd cum publicatio sit irrita, dicetur potiùs attentata, quàm facta. Quare hujusmodi personæ non incurrerent hanc censuram, nisi quatenus ex parte sua est, applicent; quod eveniet, vel si cum effectu faciant hæc bona fisco applicari: vel si sententiam proferant ea bona fisco applicantem. Ut hæc omnia docet optimè *Suarez tom.5. in 3. p. disput. 23. sect. 5. num.26.*

17 Ultimò exigitur ea bona fisco applicari, ac proinde non esse locum huic censuræ, si ea bona sibi, vel aliis applicent. Sic *Suarez eodem num.26.* nec explicat, cui fisco applicanda sint ea bona. Ducitur, quia textus solius applicationis fisco meminit: idque forsan, quia frequentiùs, & majori colore fieri poterat. Verùm existimo esse locum, sive utrivis fisco, sive sibi, sive aliis applicent. Quia textus non solius fisci meminit, sed hujusmodi verbis utitur, *Fisco etiam Ecclesia applicare*. Quæ dictio implicativa, *etiam*, implicat multò magis eam prohibitionem esse applicandi fisco sæculari, aut sibi, aut aliis. Atque ita docent *glossa ibi*, *verbo Ecclesia*, *Imola n.7. Cardinalis verbo Inquisitoribus*, *num.1. notabili 5. D. Anton. Sylv. Angel.* ubi eos allegavi *nu.8. Rosella verbo Excommunicatio 1. casu.*

18 Demum superest tractandum de utriusque excommunicationis absolutione. Et de priori lata contra pecuniarum extortionem, constat eam non esse simpliciter reservatam; sed ejus absolutionem permitti, cum quadam conditione, ibi: *A qua non possint absolvi, præterquam in mortis articulo, donec illis, à quibus extorserint, plenè satisfecerint de pecunia sic extorta, nullis remissionibus super hoc valituris*. Quare etsi in aliis casibus censeatur parti satisfactum, qualitercumque cum ea conveniatur, ac ei placeat, *l.1. ff. qui satisdare cogantur*, *l. Si rem 9. §. Omnis pecunia ff. de pignoratitia actione*; at ut possit inferior Pontifice absolutionem hujus excommunicationis impertiri, id non sufficit, sed oportet antea cum effectu impleri hanc conditionem. Sic tradunt *Bonifacius ea Clem. 2. nu.99. Suarez 5. tomo in 3. p. disp.23. sect.5. num.27.* Atque textus in *ea Clemen.* petit *plenam satisfactionem*: idest, usque ad unum denarium. Ut allegato *Matthao* tradit *ibi Cardinalis verbo Inquisitoribus*, *numer. 1. oppositione 5.* Erit autem satisfactio realis, quando persona, cui restituendum est, longè distat, & pœnitens deponit pecuniam restituendam. Ut benè docet *Enriquez lib.13. de excommun. c.28. nu. 4.*

19 Sed difficultas est, an restituendi impotentia excuset ad eum effectum, ut possit inferior ab hac excommunicatione absolvere, absque reali satisfactione, sed sola restituendi cautione sibi possibili tradita? Negat *Suarez num. precedenti* relatus. Quia hoc in mortis articulo exigitur ad absolutionem hanc ritè concedendam, & tamen in illo textu solus mortis articulus excipitur. Ergo illo articulo excepto est necessaria realis satisfactio; alias excommunicatio manet Pontifici reservata. Verùm existimo id intelligendum esse, si hi extorquentes sint satisfaciendo, quare quando paupertas excusat, poterunt ab inferiori absolvi. Nec obstat illa articuli mortis exceptio: tum quia tacitè intelligebatur, & ideò ejus expressio nil operatur; tum etiam quia in eo non præmissa hac reali satisfactione, nec excusante paupertate, valeret utique hæc absolutio, cum in eo articulo illa non petatur; at extra illum ea non valeret. Et ideò hanc partem sustinent *glossa ea Clemen. 2. verbo Satisfecerint*, *& ibi Imola num.7. & à Cardinalis in 1. oppositione num.5. Bonifacius nu. 92. D. Antonin. 3. p. tit.24. c.8. Sylv. verbo Excommunicatio 9. casu 42. num.81. Tabiena verb. Excommunicatio 5. casu 4. q.17. n. 18. Navar. summa c.27. Hispana num.143. Latina nu.142.* Atque sunt alii casus similes, ubi idem tradunt Doctores. Nam in *motu proprio* Clementis VIII. ee largitione munerum interdicta religiosis, sic dicitur de recipientibus munera ab illis: *Restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiæ absolvi possint*. Et tamen *Sosa in ejus expositione nu. 96.* dicit intelligi quando moraliter possunt restituere. Et Gregorius XIII. in suo *motu proprio* de datis, & acceptis pro justitia, vel gratia, sic ait. *Nec quisquam admittatur ad absolutionis gratiam; nisi prius erogatum esset pauperibus quantum ille dedisset, vel recepisset*. Et tamen *Navar. in commento illius, num.38.* ait posse hos absolvi, quando impotentia restituendi excusaret, sicut ab aliis restituendis excusat: *juxta* (inquit) *tradita à nobis*, *in summa cap.17. num. 56.* ubi *idem*

Navar.

Navar. ait posse absolvi restitutione non præmissa, non solùm, qui nullo modo potest, sed etiam qui commodè nequit, eò quòd periculum vitæ, famæ, aut magno bonorum detrimenti imminet. Et *Molina tomo 1. de just. disp.92. col.3. vers. Pœna*, explicans eumdem motum proprium, dicit intelligendum, quando per absolvendum stat quominus restituatur. Præterea quia *Trid. sess. 25. de reform. c.12.* sic ait. *Subtrahentes decimas excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta absolvantur*. Et tamen *Navar. summa Latina c. 17. num.59. Molina tom.3. de justit. in posteriori parte, disp.756. in fine, & Manuel in 1. tomo summæ, in 2. edit. c. 87. num.8. Enriquez lib. 13. de excomm. c.28. num. 1. in commento, littera R.* dicunt intelligi, quando impotentia commodæ restitutionis non excusat. Quamvis minùs benè *Navar. lib.4. de restit. c.4. in nova edit. dub. 13. num.67.* contradicat nolens hoc admittere, nisi quando hi ratione impotentiæ essent absque culpa excommunicati. Atque *Enriquez eo c. 18. num.4. in initio*, ait concessam absolvendi facultatem delegato, & exprimendo ne absolvat, nisi præmissa integra, & reali satisfactione, posse exerceri, quando reus satisfacere nequit.

20 Cum tamen textus solam pecuniæ extortæ restitutionem præmitti jubeat, non exigitur præmitti restitutionem expensarum, quas extorquens tenetur restituere ei, cui extorsit. Sic *Bonifacius eadem Clem. 2. num.90.* Nec à fortiori exigitur solutio quadrupli, quod in pœnam hujus concussionis statutum est *c. Quoniam, in fine, d. 18.* Quia nec debetur ante condemnationem; nec in *ea Clem. 2.* hæc solutio exigitur. Ita *gloss. ibi, verbo Officii, & ibi Imola nu.6. Ancharanus num.5. notabili 3. Navar. summa, c.27. Hispana n. 143. Latina num. 142.*

21 Tandem posterior excommunicatio statuta in *ea Clemen. 2.* contra applicantes bona Ecclesiarum fisco, non reservatur, nec ad ejus absolutionem exigitur *ibi* præmitti hanc restitutionem. Quia verba in limitatione potestatis absolvendi *ibi* posita, loquuntur apertè in sola priori excommunicatione; cum loquantur de pecunia extorta reddenda. Sic tenent *Bonifacius ibi num.93. Suarez tom.5. in 3. p. disp.23. sect. 5. num. 27.*

SUMMARIUM.

An patrimonialia clerici bona publicentur ob ejus delictum? numero 22.
Quid de quasi patrimonialibus? num.23.
Quid de acquisitis ratione beneficii, attento solo jure canonico? num.24.
Quid usu servetur, specialiter in hoc regno? num.25.
Cui fisco applicantur bona clerici ob hæresim publicata? nu.26.
Post num.26. invenies alia summaria.

22 QUÆSTIO II. An ob clerici hæresim sint ejus bona publicanda? Et quidem si de patrimonialibus loquamur, constat ea publicari. Quia nullibi reperitur id interdictum; & textus dicentes bona clericorum applicanda esse Ecclesiis, non de his bonis loquuntur, imò de his testari permittunt *c. Quia nos 9. de testam.* sed loquuntur de acquisitis intuitu Ecclesiæ. (Ut *num.24.* dicemus.) Item, quia hæc transeunt ad quoscumque clerici successores. Atque ita *Covar. 2. var. c.9. num. 12. in initio*, & multis aliis citatis. *Penna in directorio Inquisitorum 3. p. comment.161. Simancas de cathol. instit. tit. 9. num. 92.* docent.

23 Atque idem dicendum est de bonis ejus quasi patrimonialibus (quæ qualia sint, explicui *num.1.*) Ratio est, quia de his etiam liberè possunt testari clerici, & ea ad quoscumque eorum successores transeunt. Ut multis citatis tradit *Covar. cap.1. num.11. de testam.* probans nullum esse in hoc discrimen inter Episcopos, & alios clericos. Quare juxta regulam traditam *c.14. num.5.* transibunt ea in fiscum.

24 Tota autem difficultas est de bonis clericorum acquisitis ratione beneficii Ecclesiastici. Quia extat textus *c. Excommunicamus 13. §. Damnati vero, de hæret.* ubi horum bonorum publicatio interdicitur, ibi: *Bona hujusmodi damnatorum, si laici fuerint, confiscentur; si vero clerici, applicentur Ecclesiis, à quibus stipendia receperunt*, Ubi *glossa verbo Stipendia*, ait, *si plura stipendia habuerint*, ea dividenda *pro rata inter Ecclesias*, à quibus habent. Idque notant Doctores *c. Quia nos 9. c. Relatum 12. & c. Requisisti 15. de testam.* Quia hi textus disponunt interdictum esse quibusvis clericis testari de his bonis, sed ea post illorum obitum cedere Ecclesiis. Quare juxta regulam traditam *c.14. nu.5.* non transibunt in fiscum. Quare etsi *Penna* relatus *num. 22.* statuat discrimen inter acquisita ex beneficio simplici, ut illa omnino confiscentur, ubi jus commune non est usu abrogatum, eò quòd clerici sint illorum domini; & inter acquisita ex beneficiis curatis, aut Episcopatu, dicitque hæc non publicari, nisi quo ad portionem ad eorum sustentationem necessariam; eò quòd hujus solius sint veri domini. At dicendum est attento jure communi, nulla ex his bonis publicari. Quia textus *d. c. Excommunicamus*, & alii relati, loquuntur indistinctè de bonis intuitu Ecclesiæ à clerico acquisitis. Et *Covarr. lib. 2. var. c.9. num. 11. in fine*, indistinctè ait bona clerici hæretici ex beneficio acquisita pertinere ad Ecclesiam. Et *c. Cum in officiis, n.6. de testam.* aliis multis citatis, contra alios, quos *ibi* refert, probat nullum esse inter hos clericos beneficiarios discrimen, sed omnibus illis interdictum esse de hujusmodi bonis testari. Atque ideò cum hujusmodi bona nequeant in hæredes transire, nequibunt quoque in fiscum: juxta regulam traditam *c. 14. num.5.* Quare optimè *Peregrinus de jure fisci lib.5. tit.1. num.97. in fine*, dicit bona intuitu Ecclesiæ acquisita à clericis, quæ in extraneos hæredes devolvi nequeunt, non transire in fiscum. Et huic fundamento innititur hæc bona non confiscari; non verò defectui dominii. Quia quoscumque clericos, & Episcopos esse suorum redditiuum veros dominos, sustinet communior ac verior opinio.

25 Ex quo deducitur hæc clericorum bona publicari in iis locis, in quibus usu legitimo est inductum, (ut in regno hoc Castellæ, & aliquibus aliis) ut de his valeant liberè testari, & in ea succedant quicumque hæredes, ac in alia patrimonialia clericorum bona. E ita docent *Simancas de cathol. instit. tit. 9. num.90. Penna num. præcedenti* relatus, *Vasquez 1. 2. quæst. 96. art.5. disput. 169. c. 2. numer. 19. vers.9. Azor. tomo 1. instit. moralium, lib.8. cap.12. quæst.14.* Est autem prædicta consuetudo legitimè præscripta in hoc Castellæ regno, ut solis Episcopis interdicta sit potestas testandi de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, & in ea succedit Camera Apostolica; at reliqui beneficia qualiacumque habentes possunt testari de acquisitis ex beneficiis, & in ea non succedit Ecclesia, sed eorum hæredes. Ut habetur *lib. 5. recopil. regia tit. 8. l. 13.* & testatur *Covarr.* defendens cum aliis prædictam consuetudinem *cap. Cum in officiis*, *numer.9. de testam.*

26 Id demum monuerim, quamvis attento jure bona clericorum publicata sint deferenda fisco Ecclesiæ, ut contra alios relatis aliis probat *Covarr. 2. variar. c.9. num.12.* at usu Castellæ obtentum est, ut bona clericorum, sive mobilia, sive immobilia, quæ ob ipsorum hæresim publicantur, applicentur fisco sæculari. Quam praxim testatur, & approbat *ibi Covar.* alios referens.

SUMMARIUM.

An publicatis hæretici absentis bonis, ob ejus contumaciam, sit circa illa audiendus, si post annum compareat? Refertur quædam sententia, num. 27.
Explicatur sententia Auctoris, num. 28.
An minor restituatur adversùs hujus anni lapsum, ut post audiatur, quo ad bona? num.29.
Post num.29. invenies alia summaria, quæ desiderantur.

27 QUÆSTIO III. An quando bona ob contumaciam hæretici absentis publicantur, ita elapso anno transeat sententia in rem judicatam, ut comparens postea non audiendus sit circa illa, nec ea recuperet, etsi non damnetur tamquam hæreticus? Quidam dicunt hunc audiendum esse, quo ad bona publicata, non aliter, quàm si intra annum compariuisset, sicut est audiendus circa pœnam corporalem, quamvis statua ejus esset combusta, & subinde bona esse illi restituenda, si auditus non convincatur de hæresi. Ducuntur, quia textus in *l. fin. ff. de requirendis reis*, decidens bona non restitui contumaci non comparenti intra annum, loquitur de bonis ipsi ablatis in contumaciæ pœnam: cum enim ea contumacia incurratur non comparendo intra annum, nisi ea transacto anno purgetur, probando legitimum non comparendi impedimentum, fortiuntur ea pœna suum effectum: nec eo anno transacto auditur contumax suam innocentiam probare nitens, quò ea bona sibi restituantur. At in hæresi non publicantur bona in contumaciæ pœnam, sed in ipsius hæresis supplicium, & publicatio est pœna ipsam consequens. Non ergo transibit, quo ad hanc bonorum publicationem, sententia illa in rem judicatam, sed quocumque tempore contumax compareat, erit audiendus, illaque sibi restituentur, hæresi non probata. Et ita docet *Scaccia de judiciis, lib. 1. c.98. num. 34.*

28 At dicendum est eum nequaquam illa recuperaturum, nisi postea comparens innocentiam suam plenè ostenderit, aut justum impedimentum non comparendi intra annum. Probatur ex *l. fin. ff. de requirendis reis*, ibi: *Mandatis cavetur intra annum requirendorum bona obsignari, ut si redierint, & se purgaverint, rem suam integram habeant. Si neque redierint, neque qui se defendant, habuerint, tunc post annum bona in fiscum cogantur*. Et hanc partem apertè probat *lex regia 3. tit. 10. lib.4. recopil.* ibi: *Y passado el dicho anno, no se aviendo dentro del presentado, ni prendido el tal acusado, se execute luego la sentencia en la penas de dineros, o de bienes, assi en las que se aplicaren a la nuestra camera y fisco, como en las que se aplicare a la parte, y no pueda en quanto a ellas ser oido, aunque passado en dicho anno se presente*. Et ideò sic tradunt *Simancas de catholicis institut. tit. 2. in fine*, *Penna in directorio Inquisitorum 3. part. commentario 49. columna 3. versicul. Adveniente*, *Flamin. Cartarius de executione sententia contumacialis*, *cap. 1. num. 278.*

29 At minor potest beneficio restitutionis in integrum implorato, restitui adversùs hujus anni lapsum, ut etiam, quo ad pœnas pecuniarias audiatur. Ut latè probant sol-

concor-

concordia juris, litera A. num. 12. *Joannes Garzia de nobilitate gloss.* 6. §. 1. *à num.* 24. *Azevedo lib.*4. *recepil. tit.* 10. *lib.*3. *à num.* 6. *Gutierrez, quæst. practicis, lib.* 3. *qu.* 34. *à num.* 7. Quamvis minùs benè hanc restitutionem negent *Avendanno responso* 15, *num.*7, *& Villalobos in antinomia juris, litera A. à num.*7.

SUMMARIUM.

*An quando bona hæreticorum sunt in alio territorio, claudantur in confiscatione judicis diversi territorii? num.*30.
*Quando dicatur fieri confiscatio jure communi, & quando speciali? numer.*31.
*Quando sit jure speciali, an veniat in confiscatione facta à judice diversi territorii? num.*32.
*Quis judex debeat confiscationem exequi, quando bona sunt in diversis territoriis? num.*33.
*Quando sunt diversi fisci, ad quem pertineant bona? nu.*34.

30 QUæstio ultima. An bona hæreticorum sita in alio territorio, quàm judicis confiscantis, publicentur, & ad quem fiscum ea bona pertineant, quando sunt diversi fisci? Communis sententia sic distinguit. Aut fit confiscatio jure communi, aut speciali. Quando fit priori modo, extenditur confiscatio ad bona etiam extra territorium sita. Ita *Bart. l. Cunctos populos; num.*51. *vers. in secundo casu, C. de summa Trinit. &* allegatis *Joan. Andreæ, & Alberico, Nullus de bannitis* 1. *part. secundi temporis, quæst.*17. *&* allegatis *Angelo, Gygante, conrado, Capola, Romano, Ploto, Zephalo, Farinac. in sua practica, in novâ editione, tom.*1. *p.*1. *tit. de delictis, & penis, qu.* 25. *num.* 106. *Claperius in decisionibus, seu centuriis causarum fiscalium, causa* 41. *q. unic. nu.*3. *&* alios allegans *Peregrinus de jure fisci, lib.*5. *tit.*1. *num.*138. *Bossius in sua practica, tit. de bonorum publicatione, nu.* 62. *Julius Clarus in pract. lib.*5. *qu.* 78. *num.*27.

31 Dicitur autem jure communi fieri publicatio, non quòd in utroque territorio vigeat eadem lex à diversis principalibus lata, sed quòd lata est à superiori utriusque territorii, ut in crimine hæresis: & ideò fiscus capiet illa bona, ubique sita sint. Quippe ea sententia jus facit apud omnes. Sic relatis *Joanne Andr. & aliis* tenet *Peregrin. eodem num.* 138.

32 Quando verò confiscatio fit jure speciali, seu municipali, varios casus distinguunt Doctores. Consulantur *Farinacius ea quæst.*25. *à numer.* 94. *usque ad* 100. *Peregrinus eodem tit.* 1. *à num.*134. *Bossius à num.* 62. *Julius Clarus dicto numero* 27.

33 Quòd si quæras, quis judex confiscationem executurus sit? Dic quando bona sunt in eodem judicis confiscantis territorio, ipsummet executurum, quando autem sunt in alieno territorio, quamvis sententia publicationis ferenda sit à judice territorii, in quo delictum est commissum, apprehensionem tamen bonorum, ac subinde confiscationis executionem debere fieri à judice loci, ubi sunt sita. Ut tradunt Doctores per illum textum *l. A divo Pio* §. 1. *ff. de re judic. & argumento textus, l. Cum unus, §. fin. ff. de bonis auct. judic. possidendis*. Requisito judice illius territorii, per judicem, qui sententiam tulit. Ita *Bossius eodem tit. de bonorum publicatione, num.* 62. *Peregrinus eodem tit.* 1. *num.* 134. *Farinacius eadem quæst.*25. *num.*95. dicens nullum contradicere.

34 Atque ubi diversi sunt fisci, quælibet bona pertinent ad fiscum, ubi sunt sita, *l. quicumque §. Universi, vers. Quod si fecerint*, ibi: *In cujus territorio est C. de hæreticis*. Ita alios allegans, & dicens communem, contra alios, quos *ibi* refert *Farinacius ea quæst.* 25. *numer.* 101. *& Julius Clarus dict. quæst.*78. *num.*27. Et uterque cum aliis limitat, dummodo dominus secundi territorii habeat etiam jus confiscandi. Sublimitant etiam *Farinacius num.*108. *& Peregrinus eodem titul.* 1. *num.*121. ut bona pertineant ad fiscum loci, in quo sita sunt, quando sunt immobilia, nam quando sunt mobilia, pertinent semper ad fiscum loci, in quo sit confiscatio. Quod mobilia concernant personam damnati, nec territorio adhæreant, & circumscribantur.

CAPUT XXI.

Quando ob delictum bona non publicantur ipso jure, sed per sententiam publicanda sunt, qualiter valeant alienationes interim factæ, ita ut nec lata sententia integrum sit fisco eas revocare?

SUMMARIUM.

Proponitur textus, l. Post contractum *ff. de donat. explicandus, num.*1.
*Non datur revocatio ratione fraudis, quando nec omnia bona, nec pars publicantur, num.*2.
*Triplex est crimen, num.*3.
*Potest alienatio fieri bonâ fide, aut in fraudem, num.*4.
Ex quibus conjecturis fraus præsumatur? A numero 5. *usque ad* 22.
Quoties alia conjectura capi potest, non est fraudis capienda, numero 23.
*Quot hujus alienationis tempora sint spectanda? nu.*24.
*Revocantur à fisco omnes alienationes, quovis tempore facta in fraudem, num.*25.
*An sint ipso jure irritæ? num.*26.
An revocentur nulla secuta sententia, aut ea absolvente? numero 27.
*An secuta sententia possit fiscus apprehendere bona in fraudem alienata, & quid, quando est simulata alienatio? nu.*28.
*An exigatur recipientem esse fraudis particeps? nu.*29.
*Quando præsumatur possessor ille particeps fraudis? num.*30.
*An alienatio facta ante delictum, non in fisci fraudem, possit revocari? num.*31.
Quid si post delictum, nondum tamen secuta sententia fiat? numero 32.
Improbatur sententia dicens has alienationes esse revocabiles, numero 33.
*Quid si lis pendeat in contumacia delinquentis? num.*34.
*Quid si alienatio sit rei irrevocabilis, ut libertatis? num.*35.
*Quid si fiat post sententiam, sive in rem judicatam transierit, sive ab ea sit appellatum? num.*36.
*Quid si delinquens obeat intra appellandi tempus? nu.*37.
*An revocetur tamquam attentata, an potius ratione fraudis præsumptæ? Refertur quædam sententia, nu.*38.
*Explicatur sententia Auctoris? num.*39.
Quid si alienatio sit facta pro causa necessaria, ut alimentis, aut litium expensis, num. 40.
An fructus illius rei alienata revocet fiscus? num. 41.

1 TOta hæc quæstio versatur circa intellectum textus in *l. Post contractum* 15. *ff. de donat.* ibi: *Post contractum capitale crimen donationes facta valent ex constitutione Divorum Severi, & Antonini, nisi condemnatio secuta sit*. Cui consonat *l. regia* 2. *tit.* 4. *p.* 5. ibi: *Mas si alguno fuesse acusado de yerro, maguer fuesse à tal, que feyendo prevado, deve morir por ello, oser desterrado por siempre, dezimos, que la donacion que siniesse fasta el dia que diesse la sentencia contra el, que valdria; como quier que si fusse fecha despues de la sentencia, non seria valedora*.

2 Quò quæstio hæc enodetur, debet præmitti primò, intelligi textum, quando crimen est tale, ut ob ipsum publicatio bonorum, aut partis illorum competat fisco? quando enim crimen non est ejusmodi, nulla revocandi actio datur fisco ratione fraudis, nec textus de ejusmodi crimine loquitur. Quod constat ex illis verbis *l. Post contractum*, ibi: *Capitale crimen*. Et ita tradunt *Bart.* allegato *Jacobo de Arena ea l. Post contractum, in initio, & in fine, & ibi Paul. num.* 2. *vers. Tertius est, Montepicus n.*6. *in fine, Alciatus in initio, Annibal in initio, Greg. Lopez l.*2. *verb. Deve morir, tit.* 4. *p.* 5. *Peregrinus de jure fisci, lib.*5. *tit.*1. *nu.*153.

3 Secundò præmitto triplex esse hujusmodi criminum genus. Primum est, ob quod nec bona publicantur ipso jure, sed per sententiam, nec bonorum administratio interdicitur. Secundum est, ob quod bona non publicantur ipso jure, at interdicitur administratio à tempore commissi delicti. Tertium est, ob quod bona publicantur ipso jure. De solis ergo criminibus primi generis est præsens quæstio. De aliis autem agetur *c. seq.*

4 Tertio potest hujusmodi alienatio, bono animo, & sincero fieri, aut gratia fisci defraudandi, ne bonis illis fruatur.

5 Cum autem fraus tamquam delictum non præsumatur *l. Meritò* 51. *ff. pro socio*; atque in solo animo consistat, ex solis conjecturis elicienda est. Sex autem potissimùm conjecturæ illius assignari solent. Prima est, cum delinquens alienavit omnia bona sua. Hanc tradunt *Bartol, l. Post contractum, num.* 2. *ff. de donat. & ibi Cumanus, num.*3. *Montepicus nu.*22. *Roman. n.*2. *in fine, Alberic. in fine, Imola num.*1. *Alciat. num.*40. *Bald. auct. Sed jam necesse, qu.*2. *C. de donat. ante nupt. Angel. l. si quis post hac* 9. *num.*3. *C. de bonis proscript. & ibi Fulgos. num.*7. *Salic. in princip. num.*6. *Dec. cons.*235. *num.*2. *volum.*2. *Ant. Gomez tom.*3. *variarum, c. ult. nu.*4. *casu* 1. *Bossius in sua pract. tit. de bonorum publicatione, num.* 45. *Simancas de cathol. instit. tit.*9. *num.*56. *Peregrin. de jure fisci l.*5. *to.*1. *n.* 156. Atque idem tradunt de majoris partis bonorum alienatione *Bald. Decius, Montepic. num.*43. *Alciatus, Antom. Gomez, Pereg. ib.* Idem dicunt, quando est donatio meliorum bonorum *Decius, Fulgosius, Cuman. Anton. Gomez, Peregr. ibid.* Idem de venditione omnium bonorum tradunt *Bar. Salic. Roman. Alciat. Imola, Montepic. nu.*35. *Bossius ibid. Barbat. addit. ad Bartol. ea l. Post contractum, num.*2. *litera C. & Alex. ibi litera D.* Quod intellige, nisi venditio fieret justo pretio, tunc enim cessaret hæc fraudis suspicio. Sic *Imola, Roman. Montepic. n.* 44. *Alciat. Barbat. Alex. Bossius ibid.* Vel si paulò minori pretio fiat. Ut benè tradunt *Imol, ibi & Montepic. n.*44. At quò tunc fraudis suspicio cesset, oportet pretium à venditore non occultari, sed palam esse. Ita *Romanus, Imola, Alex. Barbat. Montepic. num.*44. *Bossius ibidem*.

6 Ampliatur autem hæc conjectura, ut verum habeat quamvis in hac alienatione juramentum interveniat, quod juramentum non operetur in tertii præjudicium. Ut notatur *c. Quamvis pactum de pactis, in* 6. Sic *Peregr. eod. tit.* 1. *n.*156. ubi etiam citatis *Bart. & aliis*, ampliat, etiamsi non unica vice simul, sed pluribus seorsum ea alienatio sit facta.

7 Ve-

7 Verùm sola hæc bonorum omnium donatio aut alia eorum alienatio ante delictum facta, non est sufficiens fraudis conjectura, sed fisco aliam quoque conjecturam probare incumbit. Ut si tempore illo haberet donans, aut alienans inimicitias capitales, ob quod est verisimile ipsum cogitasse de eo delicto committendo, & timore pœnæ jacturæ bonorum, ea alienasse; secùs si inimicitiæ alienationem sequantur. Ita *Bartol. ea l. Post contractum, num.*2. *& ibi Montepic. num.*35. *Salicetus d. l. Si quis post hac, in princip. num.*6. *Ant. Gomez d. c. ult. num.*4. *post* 6. *casum, Bossius eodem tit. de bonorum publicatione, nu.*45. *Pereg. eodem tit.* 1. *num.* 155. *&* 156. *in initio*.

8 Sed quid si his inimicitiis præcedentibus alienationem, non sequatur ea in continenti, sed ex intervallo? *Bossius eo nu.*45. ait nil referre utrovis modo alienatio sequatur, ad hanc fraudis suspicionem capiendam. At meliùs distinguit *Montepic. ea l. Post contractum, num.*36. *&* 37. si inimicitiæ alienationem præcedentes durent usque ad delicti tempus, capietur eadem fraudis præsumptio, secùs si jam cessarant. Quia cum effectus sit ex sua causa spectandus, *l. In agris* 16. *ff. de acquir. rerum dominio*, & causa præsumendæ fraudis sint eæ inimicitiæ, illis solis durantibus, durabit hæc præsumptio.

9 Secunda fraudis conjectura est, quando donatio, vel venditio fit conjunctæ personæ. Quippe præsumitur delinquentem velle potiùs in conjunctum, quam in extraneum hæc bona transferri; & sic id facere, ne ad fiscum perveniant. Sic *Bart. ea l. Post contractum, num.* 3. *Cumanus num.* 3. *Romanus num.*4. *Montepic. num.*45. *Decius eodem cons.* 235. *num.*2. *Antonius Gomez eo c. ult. num.*4. *casu* 2. *Bossius eodem tit. de bonorum publicatione, num.* 46. *Mascardus de probat. conclus.* 815. *num.*10. *Peregrinus eodem tit.*1. *num.* 169. ubi idem dicit cum *Montepic. & Alciat. num.*42. quando ea alienatio fieret in amicum, addit tamen, modo non sit vulgaris amicitia, & in hoc plurimùm versari judicis arbitrium. Et *Alciatus n.*41. limitat id in venditione, aut in alio contractu oneroso, ut tunc temporis habeat verbum, quando agitur de rebus, quas creditur probabiliter conjunctos illos nosse; quod secùs contingit communiter in delictis. Nam quando non præsumitur eos nosse, videtur contractus onerosus quasi cum extraneo celebratus.

10 Ampliaturque hæc conjectura, quamvis non sit donatio omnium, vel majoris partis bonorum, sed rei particularis. Ut benè tradunt *Bart. Romanus, Cumanus, Salic. Montepic. nu.*45. *Alciat. Bossius, num.*47. *Anton. Gomez, Peregrinus ibidem*. Quia conjectura hæc non ex bonorum quantitate, sed ex conjunctione desumitur; & ideò ad eam capiendam sola conjunctio spectatur.

11 Sicut autem diximus in præcedenti conjectura, eam non sufficere ad fraudem probandam, ita de hac dicendum est, oportere quoque probari intercessisse inimicitias capitales tempore illius alienationis. Quia cum ratio conjunctionis sæpè inducat ad donandum, & possit tunc alia conjectura, quàm fraudis capi, non est fraus præsumenda. Sic *Bart. ea l. Post contractum, num.* 3. *Imola ibi num.*1. *in fine, & 2. Montepicus num.*46. *Salicetus d. l. Si quis post hac, in princ. nu.*6. *Decius eodem cons.*235. *num.*3. *Ant. Gomez eo num.*4. *post* 6. *casum, Bossius eo num.*46. *Peregr. eo num.*169. *Mascard. ea concl.* 815. *num.*12.

12 Tertia fraudis conjectura est, quando post alienationem reperitur delinquens possidere, & fructus rei alienatæ percipere, quamvis per clausulam constituti, vel alium actum fictum, exprimat se in alterum transferre possessionem, & nomine illius possidere. Quia ut præsumptio fraudis cesset, exigitur traditio vera, & corporalis. Ita *Bart. ea l. Post contractum, num.*4. *& ibi Alber. num.* 6. *Romanus nu.* 5. *Alciat. num.* 44. *&* 45. *Montepic. num.*47. *Decius eod. consil.*235. *num.*2. *Antonius Gomez eo c. ult. nu.*4. *in* 3. *casu, Bossius eod. tit. de bonorum publicatione, num.*48. *Peregrinus eod. tit.*1. *nu.*160. *Simancas de cathol. instit. tom.*9. *nu.*56. *Mascardus ea concl.*815. *nu.* 48. *& duplici seq.*

13 Quin imò in hoc casu non præsumitur in solam fraudem alienatio facta, sed simulata. Ut cum aliis benè tradunt *Bossius, & Pereg. ibid.* Atque optimè ait *Bossius*, esse latum discrimen, si solùm in fraudem dicatur fieri, an potiùs simulata. Quia in priori casu, cum alienatio valeat mero jure (ut dicemus *num.*26.) nequibit ab ipso alienante evadente incolumi revocari. At cum in posteriori non valeat, potest utique. Aliud etiam discrimen tradetur *numero* 28.

14 Hæc autem conjectura cessat, quando alienans reservasset sibi illius rei usumfructum. Quia tunc præsumitur retenta possessio ratione sui ususfructus recipiendi. Ita *Montepicus ibi num.*47. *Alciatus nu.*44. *Peregrinus nu.*160. *Mascardus nu.*55. Quod benè intelligunt *Montepicus, & Alciatus ibidem*, quando venditor haberet pretium solius proprietatis, tunc enim retinendo possessionem, & percipiendo fructus, non esset simulationis, aut fraudis indicium; secùs si integrum utriusque pretium solvit.

15 Cessabit similiter hæc præsumptio, quando emptor obiisset relicto hærede minori, aut minùs sagaci. Quòd præsumeretur retenta possessio ob hæredis imbecillitatem. Ita *Bart. Alciat. n.*46. *Montepicus, Mascardus nu.* 53. *Peregrinus ibidem*. Atque idem dicit *Alciat.* quando brevi spatio mansit proprietas apud alienantem.

16 Et sicut diximus duplicem conjecturam præcedentem non sufficere absque alio adminiculo: ita nec hanc solam satis esse dicendum est, nisi alia conjectura probetur, ut præcessisse inimicitias. Hoc est contra *Montepicum ea l. Post contractum, numer.*49, dicentem fortè hanc conjecturam satis esse. At eam non satis esse tradunt *Salicetus d. l. Si quis posthac, in princ. numer.* 6. *Antonius Gomez d. cap. ult. numer.*4. *post* 6. *casum, Peregrinus dicto tit.*1. *num.* 160. *in fine, Mascardus num.*51.

17 Quarta fraudis conjectura est, si ea alienatio sit clandestina. Sic *Bart. ea l. Post contractum, num.* 7. *Romanus nu.* 7. *Imola num.*3. *Cumanus num.* 3. *Montepicus num.* 54. *Alciatus num.*47. *Salicetus eod. num.*6. *Decius eodem num.* 2. *Bossius eod. tit. de bonorum publicatione, num.* 51. *Antonius Gomez, eod. cap. ult. num.*4. *in casu* 4. *Peregrinus eod. tit.* 1. *num.* 162. *Mascardus eadem concl.* 815. *numer.* 53. Sed nec hæc sola satis est, sed alia quoque conjectura est necessariò ad fraudem probanda ut præcessisse inimicitias. Quippe ob alios fines potest clam fieri. Ita *Bart. Salic. Montepicus, num.* 55. *Alciatus num.* 48. *Bossius, Pereg.. Anton. Gomez post* 6. *casum, Mascardus numero* 53.

18 Quinta conjectura est, quando facta alienatione sequitur in continenti delictum. Quia ex actuum propinquitate fraus præsumitur, *l. Si ventri* 8. §. *fin. ff. de privil. cred.* ibi: *Si modo non post aliquod intervallum id factum sit*. Sic *Bart. ea l. Post contractum, num.*8. *Cumanus num.*3. *Alciatus num.*52. *Montepicus num.*56. *Decius eod. cons.*132. *num.*2. *Baldus auct. Sed jam necesse, qu.*2. *C. de donat. ante nuptias. Cynus l. Si quis post hac* 9. *num.*3. *qu.*2. *C. de bonis damnat. Fulgos. num.*7. *Albericus num.*5. *&* 6. *Salicet. in princip. num.* 6. *Bossius eo tit. de bonorum publicatione, num.* 51. *Pereg. eo tit.*1. *num.* 163. *Ant. Gomez eo c. ult. num.*4. *casu* 5. *Simancas de cathol. instit. tomo* 9. *num.*56. *Mascard. eadem concl.* 815. *num.* 34. Relinquitur autem arbitrio judicis, quando dicatur delictum fieri in continenti. Ut benè tradunt *Decius eodem num.*2. *Montepicus num.*62. *Alciat. num.*53. *Peregr. num.* 163. Sed neque hæc sola conjectura satis est, nisi rixæ, aut inimicitiæ præcedant. Ita *Salicetus eodem num.*6. *Montepicus eod. numer.* 56. *Ant. Gomez, eod. cap. ult. num.*4. *post* 6. *casum, Bossius eod, numer.* 51. *Pereg. eod. num.*163. Imò præsumptio efficaciter operabitur, quamvis inimicitiæ non præcesserint, nisi casus postea secutus tam inopinatus sit, ut ex se indicet illum alienationis tempore prævisum non esse. Ut si ex inopinata rixa postea contingenti accidat. Sic *Bart. ea l. Post contractum, num.*8. *Montepicus eo num.*56.

19 Sed adversùs hanc conjecturam non levis est difficultas; quia (ut videbimus *num.* 32. *&* 33.) alienationes factæ post delictum usque ad sententiam, ita valent, ut non revocari valeant; cum tamen factæ in fraudem revocentur. Ergo non præsumitur fraus ex alienatione post delictum commissum facta; & proinde à fortiori, nec ex facta ante delictum, quamvis in continenti delictum sequatur. Respondetur hunc temporis non præsumi fraudem ex alienatione post crimen facta, quando ita occultum fuit, ut delinquens non habuerit verisimilem incurrendæ pœnæ metum: secùs si non ita occultum fuerit, ut si in delicto deprehensus est. Atque latum discrimen est, quando proximè ante delictum alienatio fit, aut quando post; nam priori casu, etsi delictum postea occultè fiat, potuit delinquens jure optimo timere pœnam, ac ejus timore duci ad bona alienanda; cò quòd incertus esset, an ita occultum foret delictum, ac ipse putabat. At posteriori casu, cum jam viderit delictum fuisse occultum, nec in illo se deprehensum, non est cur præsumendum sit, illum timore pœnæ alienasse. Sic respondent *Montepicus l. Post contractum* 15. *nu.* 61. *ff. de donat. & ibi Alciatus num.*56.

20 Hinc deducitur esse minùs verum, quod aliqui tradunt, nempe, alienationem factam post delicti accusationem præsumi semper in dubio fraudulentam. Hi sunt *Cynus l. Si quis posthac* 9. *num.*2. *qu.*1. *C. de bonis damnat. & ibi Fulgosius num.*5. *Salicetus in princip. num.*8. *&* 9. *Albericus d. l. Post contractum, num.*3. *ad finem*. Hoc (inquam) est minùs verum, quia (ut videbimus *num.*33.) alienatio post litis contestationem facta, dummodo sententia non sit secuta, valet irrevocabiliter: quod utique falsum esset, si præsumeretur in dubio fraudulenta. Quare dicendum est, ut tunc præsumatur fraudulenta, oportere delictum ita manifestum esse, ut meritò delinquens timere possit fore, ut probetur, & sic damnetur. Quod optimè tradunt *Ang. d. l. Si quis posthac, nu.*3, *Montepicus ea l. Post contractum, nu.* 84. *Decius cons.* 235. *num.*4. *vol.*2.

21 Ultima conjectura est. Quando alienatio facta est sub conditione, si contingat bona ob alienantis delictum publicari. Cum enim valor suspendatur usque ad cum eventum, est manifesta fraus, ne ad fiscum bona perveniant. Et ideò hanc conjecturam tradunt *Bart. ea l. Post contractum num.*9. *Alciatus num.* 63. *Cumanus num.* 3. *Decius eo cons.*235. *n.*2. *Ant. Gomez dicto c. ult. n.*4. *casu* 6. *& omnes*.

22 Cum autem in his sex casibus enumeratis non sit certa fraus, sed ex conjecturis deducatur, cessabit ejus præsumptio, quoties ex causa necessitatis fit alienatio. Hæc enim potiùs ex ea causa, quàm fraudis fieri præsumitur. Ut si fiat pro collocandis filiis, & filiabus in matrimonium, pro remunerandis beneficiis. Ita *Angel. d. l. Si quis posthac num.*3. *Fulgos. ibi num.*5. *&* 6. *Montepic. d. l. Post contractum, num.*79.